UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Commentariorum ac disputationum,in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: & Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis, expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Disputatio XVII. De institutione sacramenti pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-93815

Visual Library

*Rationibus dubitandi ſatisfit.*

10 Atque hinc tandem intelligitur, has claues, prout nunc ſũt in Eccleſia, eſſe proprias legis gratiæ: nam, licet in lege veteri aliquo modo fuerint claues, vt diximus, proprie tamen illæ non erant claues regni cælorum, quia tunc non erat propria poteſtas remittendi peccata, nec dandi gratiam, vt ſupra dictũ eſt in materia de ſacramentis in genere: & quia tunc nondum erat per Chriſtum aperta ianua regni cælorum. Cætera quæ de ſubiecto, vſu, & effectu clauium tractari ſolent, partim in præcedentibus ſectionibus tacta ſunt, partim dicentur infra cum agemus de miniſtro huius ſacramenti, & de actibus eius, ſcilicet de abſolutione, & ſatisfactione ſeu pœnitentiæ impoſitione.

## DISPVTATIO XVII.

### *De inſtitutione, & neceſſitate ſacramenti pœnitentiæ.*

*Symmach. Pap. Marian. Vict. Cyprian. Auguſt.*

EXplicata poteſtate remittendi peccata, quæ eſt fundamentũ ſacramenti pœnitentiæ, agendum eſt de ipſo ſacramento. Et in hac diſputatione tractamus an ſit, dicturi poſtea de eſſentia, & partibus eius. Ne autem multiplicemus quæſtiones, eadem inquirendo prius de ſacramento, poſtea de confeſſione, ſuppono his vocib. apud ſanctos Patres eandem rem ſignificari. Aliquando enim vocatur hoc ſacramentum abſolute *Pœnitentia*, ſcilicet ſacramentalis, ſeu propria Chriſtianorũ, vt eſt apud Symmachum Papam Apolog. contra Anaſtaſium Imperatorem, vt refert Marianus Victor lib. de Confeſſione, c. 2. Aliquando vocatur *Confeſſio* ſeu *Exomologeſis*, vt apud Cyprianum epiſt. 10. & 15. Vocatur etiam *Reconciliatio* ſeu *Abſolutio* ex Auguſtino epiſt. 180. nominatur enim ſæpe totum à partibus. Vnde non eſt neceſſe agere de inſtitutione ſingularum partium, ſed totius: nam poſtea explicando, quibus partibus hoc totum conſtet, ſufficienter erunt demonſtrata.

## SECTIO I.

### *Vtrum Chriſtus Dominus in lege noua ſacramentum pœnitentiæ ab aliis diſtinctum inſtituerit.*

*Primus error.*

1 HIc ſunt duo errores extreme oppoſiti. Prior aſſerit hoc ſacramentum exterioris confeſſionis antiquiſſimum eſſe, & inſtitutum eſſe, vel ab ipſo Deo in paradiſo terreſtri ſtatim poſt peccatum Adæ, quando illum interrogauit, *Quid feciſti?* vel in lege veteri, quando fuerunt inſtituta ſacrificia pro peccatis, quæ offerebantur præmiſſa quadam confeſſione. Vnde & de Ioanne Baptiſta legitur, quando cœpit pœnitentiam prædicare, Iudæos ad ipſum accedentes confeſſos illi fuiſſe peccata ſua. Hanc ſententiam refert Gloſſa de Pœnitentia d. 5. in principio. Referunt etiam quendam Petrum de Oſma hunc tenuiſſe errorem, & damnatum fuiſſe in quodam Concilio Complutenſi confirmato à Sixto 4. Fauereque illi videtur VValdenſis 2. tom. de Sacramentis, cap. 140. dicens, confeſſionem non fuiſſe à Chriſto primo inſtitutam, nam antea erat in lege veteri; Chriſtum vero aliquid ſuppleuiſſe. Ille vero fortaſſe loquitur de confeſſione non ſacramentali.

*Gloſ. in princip. de Pœn. diſt. 5.*

*VValdenſ.*

2 De hac ergo confeſſione intellecta illa ſententia omnino falſa eſt, quia poteſtas remittendi peccata nõ fuit data hominibus ante Chriſtum Dominum. Neque in lege veteri aut naturali erant ſacramenta conferentia gratiam, aut culpas remittentia, præter remedium originalis peccati, vt in ſuperiori tomo eſt oſtenſum. Item decuit, vt in lege gratiæ liberalius fieret peccatorum remiſſio, quam antea, & ideo illius eſt proprium hoc beneficium, vt etiam Concilium Tridentinum docuit ſeſſ. 14. cap. 1. Illa ergo confeſſio Adami magis fuit interior ad Deum, quam exterior ad hominem: ſicut illa Dauidis Pſal. 31. Dixi, *confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.* Confeſſio autem, quæ fiebat in lege veteri, ſolum erat generalis, & cæremonialis, neque ad internam remiſſionem peccatorum, ſed ad irregularitates tollendas; nec de aliis peccatis, ſed ſolum quantum in ipſa oblatione ſacrificij pro peccato manifeſtabantur, licet fuerit vmbra & figura huius ſacramenti: quod etiam de confeſſione Iudæorum ad Ioannem Baptiſtam dici poteſt. De hoc errore plura legi poſſunt in Medina tractatu 2. de Confeſſione in principio, & Nauarro de Pœnit. d. 5. à principio.

*Conci. Trid.*

*Pſal. 31.*

*Medina.*

*Nauarr.*

*Secundus error.*

3 Alter error eſt hæreticorum huius temporis, qui negant ſacramentum pœnitentiæ diſtinctum à Baptiſmo, quia ad ſalutem ſufficere putant credere, & baptizari, iuxta illud Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Quamuis enim Lutherus ipſe non tam aperte negauerit hoc ſacramentum; tamen diſcipuli eius expreſsè negarunt in confeſſione VVitembergenſi, & Antuerpienſi, atque etiam Caluin. vt conſtat ex Ruardo artic. 3 Petro Soto contra priorem confeſſionem, & Tiletan. contra poſteriorem cap. 18. Sed hic error damnatus eſt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & 15. contra VVicleph, & in Florentino in Decreto Eugenij, & latius in Tridentino ſeſſ. 14.

*Ruard. Pet. Soto. Tiletan. Concil. Conſtantienſ. Conci. Flor. Conci. Trid.*

### *Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia ſpeciale ſacramentum, quod eſt medium ad veniam peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum: Prima veritas fidei.*

4 VNde duo ſunt hic certa de fide. Vnum eſt reliquiſſe Chriſtum Dominum in Eccleſia ſpeciale quoddam ſacramentum, quod eſſet remedium ad conſequendam veniam peccatorum, quæ poſt baptiſmum ſuſceptum committuntur. Ita definitur in dictis Conciliis: & patet ex tota præcedenti diſputatione. Nam illa poteſtas non eſt excellentiæ, & ideo habet determinatum actum, & modum operandi. Deinde eſt poteſtas exercenda inter homines in Eccleſia viſibili: & ideo neceſſe eſt, vt per aliquod ſignum ſenſibile & humanum operetur. Rurſus eſt poteſtas efficax de ſe: & ideo neceſſe eſt, vt illud ſignum ſenſibile, quo vtitur, habeat promiſſionem gratiæ, quia ſine illa non remittuntur peccata: ſignũ autem efficax gratiæ, & habens promiſſionem eius, eſt ſacramentum nouæ legis: ergo tali poteſtati neceſſario reſpondet aliquod ſacramentum nouæ legis remiſſiuum peccatorum, quæ poſt baptiſmum committuntur. Ratio ſeu congruentia addi poteſt, quia non eſt minor neceſſitas in hominibus baptizatis, nec minus periculi in peccatis, quæ poſt baptiſmum committuntur, quam in eis quæ præcedunt: ergo ad Chriſti prouidentiam pertinuit remedium inſtituere, quo regenerati poſſent à peccatis reſurgere. Quam rationem attigit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 1. Supra etiam aliam adduximus, quã ſignificauit eleganter Patianus epiſt. 3. ad Simpronianum dicens, *Sicut gentilem populum non eſt paſſus mori, ita & redemptum non patietur extingui.*

*Conci. Trid.*

*Patian.*

### *Sacramentum hoc diſtinctum eſſe à ſacramento Baptiſmi. Secunda veritas fidei.*

5 SEcunda veritas fidei eſt, Sacramentum hoc in remedium actualiũ peccatorum baptizatorũ hominum inſtitutum, diſtinctum eſſe à ſacramẽto baptiſmi. Ita definitum eſt in Conciliis Florentino, & Tridentino, & traditur ab antiquis Patribus, Cypriano ſerm. de Ablutione pedum, & epiſt. 55. alias li. 1. epiſt.

*Cyprian.*

*Symmach. Papa. Caleſt. Papa. Baſil. Cyril. Ambr. Auguſt. Bellarm. Pamel. VValden. Pet Soto. Ruard. D.Thom.*

epiſt.3.idem in Epiſt.10. alias lib.3.epiſt.14. Sumitur etiam ex Symmacho Papa, & ex Cæleſtino Papa in c. *Omnis*.&c. vltimo 30.q.1. vbi dicunt, fieri aliquem ſpiritualem filium ſacerdotis per pœnitentiam, ſicut per baptiſmum: neq; minus peccare eum, qui cum filia ſpirituali confeſsionis delinquit, quam qui cum filia baptiſmi. Baſilius etiam confeſsionis peccatorum, & neceſsitatis eius meminit in regulis breuioribus 229.& 288.& in id Pſal.29. *Confitemini memoriæ ſanctitatis eius*: & expreſsius in id Pſal.32. *Diligit miſericordiam, & iudicium*: vbi diſerte loquitur de confeſsione homini facienda. Eiuſdem ſacramenti Cyrillus meminit, diſtinguens illud à baptiſmo lib. 12. in Ioan. c.56. Et ſumitur ex Ambroſio lib.1.de Pœnit. c.2.& 6.& li. 2.c. 2. & 9.& Auguſtino 22. contra Fauſtum c. 29. vbi appellat, *medicinam confeſsionis, & pœnitentiæ*. Et epiſt.23. *Non regeneratione*, inquit, *ſed curatione*. Idem lib.5. de baptiſmo c.22.& circa id Pſalm. 146. *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, Quid agis?* inquit, *contere, confitere*. Et infra, *Quæ ſunt iſta alligamenta? temporalia ſacramenta, quibus habemus conſolationem*. Idem optimè lib.2.de Viſitatione infirmorum, c. 4. & de vera & falſa pœn. c.10.& ſequentibus,& 1. contra Creſconium, cap. 21. vbi etiam confeſsionis meminit. Alia referam ſectione ſequenti, & diſputatione ſequenti. Et videri poteſt Bellarm. toto lib.1.de pœnitẽtia. Pamelinus in principio lib. de pœnitentia Tertulliani, & VValdenſis de Sacramentis tom. 2. c.135. & ſequentibus, & Petrus Soto lect.3.& 4. de Confeſsione. Ruardus art.3. Denique Theologi d. 14. & 15. & D. Thomas ſupra q.84.artic.1. Et videri etiam poſſunt tractata de Sacramentis in genere, & de Baptiſmo, 3. tomo huius 3.partis.

6 *Ratione probatur veritas.*

Ratio vero facile conſtat ex dictis. Primò, quia finis, & effectus vtriuſque ſacramenti longe diuerſus eſt: nam baptiſmus primo & per ſe eſt ad tollendum peccatum originale, & conſequenter actualia, ſi cum illo ſint coniuncta: hoc vero per ſe eſt ad tollenda peccata actualia, quæ poſt originale remiſſum committuntur. Rurſus baptiſmus eſt quaſi prima generatio ſpiritualis, & ad dandam primam vitam animæ: pœnitentia vero eſt veluti reſurrectio ſpiritualis, nam eſt ad reparandam vitam iam habitam, & amiſſam.

7 *Hæreticorum euaſio. Paul ad Epheſ. Auguſt. Fulgent. Præluditur euaſio.*

Reſpondent noui hæretici, ad hoc non eſſe neceſſarium nouum ſacramẽtum, quia idem baptiſmus, qui dum fuit præſens, excitando fidem, abſtulit priora peccata, etiam iam receptus per ſui memoriam, eandem fidẽ excitando, poteſt auferre peccata poſt ipſum commiſſa ex vi eiuſdem promiſsionis generalis, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Vnde Paulus ad Epheſ.5. ſolum per lauacrum dicit mundare Chriſtum Eccleſiam ſuam. Quem locum tractans Auguſtinus 1. de nuptiis, c.33. dicit, per baptiſmum non ſolum præterita, & præſentia peccata remitti, ſed etiam illa, quæ poſteriori tempore committuntur. Vnde etiam Fulgent. de fide ad Petrum, c.30. Baptiſmum vocat ſacramentum fidei, & pœnitentiæ. Reſpondetur, in hoc multos contineri errores. Primus, quod ſola fides remittat peccata, & cõſequenter quod ſacramenta ad hoc non conferant, niſi excitando fidem: quod ſupra late improbatum eſt. Deinde, quod ſacramentum prius ſuſceptum per ſolam ſui memoriam conferat effectum: quod nullo fundamento nititur: neq; oſtendi poteſt vlla promiſsio de hac re ſcripta, vel tradita. Imo eſt contra communem traditionem, & doctrinam Eccleſiæ. Præterea, quod baptiſmus prȩteritus deleat peccata poſt ipſum commiſſa, aperte eſt contra Paul. ad Heb. 6. vbi iuxta communem expoſitionem Sanctorum, ſupra etiam in hac materia tractatam, Paulus negat, lapſos poſt baptiſmum poſſe per baptiſmum renouari: & quãuis directe intendat negare iterationem baptiſmi, tamen aperte ſupponit primũ, vel potius vnicum baptiſmum non habere talem effectum: & ideo affirmat aliam eſſe viam difficiliorem, & aſperiorem ad talia peccata remittenda: quod non eſſet verum, ſi ſola memoria baptiſmi ſufficeret. Neque hæretici poſſunt conſequenter in ſuo errore hoc bene explicare: quia baptiſmus præteritus non poteſt excitare fidem ſed oportet quærere aliud excitans & fidem, & memoriã talis baptiſmi. Vnde illa promiſsio, *Qui crediderit, &c.* praue ab eis exponitur: ſemper enim in iis promiſsionibus ſubintelligitur conditio perſeuerandi in iuſtitia ſuſcepta, vel adhibendi alia neceſſaria ad ſalutem. Paulus vero ad Epheſ.5. loquitur de modo quo regenerantur, & mũdantur Eccleſiæ membra, quando ad illam aggregantur. Auguſtinus autem citato loco ſolum exponere voluit baptiſmum eſſe principium remiſsionis omnium peccatorum, etiam ſequentium, non quia proprie per baptiſmum omnia tollantur, ſed quia per baptiſmum fit homo capax omnium ſacramentorum & mediorũ, quæ ſunt in Eccleſia contra peccata: & quia per fidem in baptiſmo ſuſceptam impetrat homo remiſsionem aliorum peccatorum, præſertim venialium, vel auxilium vt ſe diſponat ad remiſsionem mortalium. Vnde idem Auguſtin. *Auguſt.* epiſt.23. *Si paruulus*, inquit, *baptizatus, grandior factus, propria inceperit habere peccata, per quæ gratiam amittat, non regeneratione, ſed alia curatione ſanari poteſt.* Et lib. 5. de Baptiſmo, c. 22. de eodem dicit: *Non ſanari per baptiſmum, ſed per veram conuerſionem.* Fulgentius denique vocat baptiſmum ſacramentum fidei, & pœnitentiæ, quia in adultis etiam pœnitentiam requirit, iuxta illud Act.2. *Pœnitentiam agite: & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* *Act.*

8 *Eadem veritas de diſtinctione baptiſmi & pœnitentiæ oſtenditur.*

Secundo oſtendi poteſt diſtinctio illorum ſacramentorum ex diuerſo ritu: nam vnum fit per modum regenerationis ex aqua, aliud per modum iudicij. Vnde alia eſt materia & forma vtriuſq; ſacramenti: nam ablutio cum verbis ſignificantibus illam, eiuſq; effectum, eſt materia & forma baptiſmi, huius vero ſacramenti eſt accuſatio, & ſentẽtiæ prolatio. Ex quo etiam ſumi poſſunt plures congruentiæ, ob quas hoc ſacramentum, ita diſtinctum inſtitutum eſt. Primo quidem ob magnam fidelium vtilitatem, nam per hunc modum remedij obtinere poſſunt & concilium, & curationem, & ſatisfactionem, ſimul cum peccatorum remiſsione. Pertinuit etiam ad perfectionem, & maieſtatem Reipublicæ Chriſtianæ, vt in ea eſſet tribunal, in quo animarum cauſæ iudicarentur, & diuinæ iniuriæ vindicarẽtur. Eſtque magna fidelium conſolatio: & eorum ſpes augetur, dum diuinum iudicium in humanum quodammodo commutatur, gerente homine in illo vicem Dei. Et multo facilior redditur via ad plenam & perfectam peccatorum expiationem, & vitandas non ſolum inferni, ſed etiam purgatorij pœnas. Vnde eſt illud Gregorij Nazianz. Orat. 40. *Nec confiteri peccatum graue ducas: nam per huius ſeculi pudorem, futuri ſeculi pudorem & ignominiam fugies.* *Nazian.*

*Sacramentum hoc ſecundum eſſentialem ritum fuiſſe à Chriſto inſtitutum.*

ASSERTIO. III.

Tertio dicendum eſt, ſacramentum hoc in particulari, & ſecundum propriam rationem, ſeu eſſentialem ritum fuiſſe à Chriſto D. inſtitutum. Nõ enim defuerunt Catholici, qui circa hoc errauerint. Nam Gloſſa in dict. principio de Pœnit. d.5. dixit eſſe inſtitutum ab Eccleſia, vel à Iacobo in ſua Canonica cap. 5. quam nonnulli Canoniſtæ ſecuti ſunt, vt ibi Nauarrus refert. Tribuiturque etiam Eraſmo in libro de modo confitendi, & in Colloquiis puerorum, vt videre licet in Petro Soto lect.3. de confeſsione. Itẽ tribuitur B. Rhenano in Scholiis ad Ter-

*Gloſ in princ. de pœnit. d.5. Pet. Soto. Rhenan.*

*Bonau.*

ad Tertullianum D. item Bonauent. d. 17. 2. p. art. 1. q. 3. dicit, abſolutionem fuiſſe à Chriſto inſtitutam, confeſsionem ab Apoſtolis, ſignificans, Chriſtum ſolum in communi reliquiſſe poteſtatem remittendi peccata, commiſiſſe autem Apoſtolis vt modum definirent, & ipſos inſtituiſſe modum confeſsionis. Idem ſentit Alexander Alenſis 4. p. q. 17. alias 76. memb. 3 ar. 2. Et ſumpſerunt ex Hugo. Victor. lib. 2. de Sacramentis p. 14. c. 1. Poſſent tamen exponi de inſtitutione quoad præceptum, non vero quoad ſignificationem, & efficaciam ſacramentalem. Nec multum ab hac ſententia diſcrepat Ianſen. in Concordia c. 147. dicens, Apoſtolos ex Spiritus ſancti inſpiratione intellexiſſe hanc fuiſſe Chriſti intentionem, eamque Eccleſiæ tradidiſſe. Quod tamen pio & ſano modo exponi poſſet. Nihilominus, ſimpliciter loquendo, concluſio poſita de fide, eſt definita in Concilio Tridentino, tum in genere ſeſſ. 7. tum in ſpecie ſeſſ. 14. Et probata eſt à nobis late in tomo 3. huius 3. p. omnibus ſacramentis. Nam illa inſtituere tanquam ſigna efficacia gratiæ, pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quam Chriſtus Apoſtolis non communicauit: neque hic ſunt aliquæ rationes ſpeciales.

*Alenſ. Hugo Vict: Ianſen. Conci Trid*

10 *Quo tempore & loco Chriſtus hoc ſacramentum inſtituerit. Opinio Armacani reiicitur.*

Quæri vero poteſt, quo tempore vitę, vel quo ſuę loco Euangelij Chriſtus D. hoc ſacramentum inſtituerit. Armacanus lib. 11. de quæſtionibus Armenorum c. 14. & 15. dixit, Chriſtum inſtituiſſe hoc ſacramentum Matth. 10. & Luc. 6. quando Apoſtolos miſit ad prædicandum, quia extunc Apoſtolicam dignitatem illis contulit, ad quam pertinet poteſtas, quam in hoc ſacramento exercuerunt. Eſt tamen falſa, & improbabilis ſententia: quia in illis locis nullum eſt verbum, ex quo talis inſtitutio colligatur. Deinde, quia poteſtas in corpus myſticum non datur ante poteſtatem in corpus Chriſti verum: tunc autem Apoſtoli non habebant poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti. Item quia Chriſtus poſtea dedit poteſtatem remittendi peccata tanquam nouam. Denique falſum eſt, tunc fuiſſe diſcipulos creatos Apoſtolos: quia non ſunt miſsi in vniuerſum mundum: ſed potius illis dictum eſt, *In viam gentium ne abieritis.*

11 *Aliorum opinio. Cyprian.*

Alij dixerunt, hoc ſacramentum fuiſſe inſtitutum in nocte Cœnæ. Quod ſignificat Cyprianus de Ablutione pedum. Et fortaſſe tunc Chriſtus inſtruxit Apoſtolos de ſtatu Eccleſiæ futuræ, & conſequenter de hoc ſacramento, vt poſtea inſtituendo & tradendo. Quod vero extunc ita illud inſtituerit, vt ſignificationem & efficaciam gratiæ habere tunc cœperit, probabile non eſt: quia ante datam poteſtatem remittendi peccata, non potuit ſacramentum hoc talem efficaciam habere & conſequenter nec practicam ſignificationem. Vnde D. Tho. ſupra q. 84. art. 6. quaſi per partes ſentit factam eſſe hanc inſtitutionem: quem locum ibi declarauimus. Aliter vero in 4. d. 22. q. 2 ar. 3. quæſtiunc. 3. eandem diſtinguit inſtitutionem. Nam Matth. 4. dicit eſſe factam quoad vtilitatem: Luc. 13. quoad neceſsitatem: Ioan. 20. quoad poteſtatem: & poſſumus addere Iacob. 5. quoad promulgationem.

*D Thom.*

12 *Vera ſententia. Conci. Trid.*

Simpliciter tamen dicendum eſt, hoc ſacramentum fuiſſe inſtitutum Ioan. 20. Quod iam nunc certum eſt ex doctrina Concilij Tridentini ſeſſ. 14. c. 1. Et declaratur breuiter ex dictis, quia antea non potuit inſtitui, cum antea non fuerit data poteſtas. Nam in illis locis, quæ D. Thomas affert, prædicatà eſt vtilitas, vel neceſsitas, non data, vel inſtituta poteſtas. Præter quam, quod in illis magis eſt ſermo de pœnitentia in commune, quam de hoc ſacramẽto. Nec poſt illud tempus dilata eſt inſtitutio, cum tunc fuerit plene data poteſtas, ita vt extunc exerceri potuerit: ergo tunc facta eſt inſtitutio: quod magis ex ſectione ſequente conſtabit.

## SECTIO II.

### *Vtrum hoc ſacramentum ſit medium neceſſarium ad remiſsionem peccati mortalis poſt baptiſmum commiſſi.*

1 *Neceſſitas ſacramenti huius duplex.*

DVobus modis poteſt conſiderari neceſsitas in hoc ſacramento. Primo antecedenter ad ipſam inſtitutionem, ita vt fuerit cauſa illius: ſecundo cõſequenter ad ipſam inſtitutionem, ſcilicet vt ſit effectus eius. Priori modo certum eſt, illam non poſſe eſſe neceſsitatem ſimpliciter: quia ſine hoc ſacramento potuiſſent homines baptizati conſequi remiſsionem peccatorum, & ſaluari, ſicut ante legem gratiæ fiebat. Si vero neceſsitatis nomen ad vtilitatem extendatur, ſic dici poteſt anteceſsiſſe aliquam, & magnam, propter quam hoc ſacramentum inſtitutum eſt: de illa vero ſufficienter dictum eſt in ſectione præcedenti. Hic ergo agimus de neceſsitate ſimpliciter, ſuppoſita inſtitutione.

2 *Quorundam opinio. Hugo Vict: Alenſ. Bonau. Ianſen. Soto. Gabr. Medina. Caiet.*

Multi ergo hęretici hanc neceſsitatem negarunt. Ex Catholicis vero, quamuis omnes admittant hoc ſacramentum eſſe neceſſarium ex Eccleſiaſtico præcepto, nonnulli tamen negant eſſe medium neceſſarium ex vi inſtitutionis Chriſti Domini. Quod ſentiunt Hugo de S. Vict. Alenſ. Bonau. & Ianſen. citati ſect. præced. Alij vero Catholici Doctores dixerunt, ſaltem hoc non colligi ex Scriptura, Scotus in 4. d. 17. q. vnica, §. *In iſta quæſtione.* Gab q. 1. ar. 1. Med. Cod. de Confeſsione, q. 2. Caie. Ioan. 20. negat huiuſmodi neceſsitatem colligi ex illo loco Ioann. 20. Et hoc eſt fundamentum huius ſententiæ. Nam licet Chriſtus Dominus Eccleſię dederit poteſtatem ad remittenda peccata mediante hoc ſacramento: non tamen inde colligitur eſſe neceſſarium ad talem effectum, ſed vtile. Sicut, licet inſtituerit Confirmationem, & Extremam vnctionem ad proprios fines & effectus; reliquit illa ſacramenta vt vtilia ad tales fines, & effectus, non vt neceſſaria. Si autem inde non colligitur, nullus eſt in Scriptura locus vnde hoc ſufficienter colligatur: nam alia quæ afferri ſolent, vt Luc. 13. cum ſimilibus probant neceſsitatem pœnitentię in genere, non vero neceſsitatem huius ſacramenti.

### *Sacramentum hoc ex Chriſti inſtitutione eſſe medium neceſſarium ad remiſſionem peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum.*

3 *Extrauag. Sixti 4. Caſtro. Conci. Conſtantienſ. Conci Trid.*

NIhilominus dicendum eſt, ſacramentum hoc ex Chriſti Domini inſtitutione eſſe medium neceſſarium ad remiſsionem peccatorum obtinendã, quæ poſt baptiſmum commiſſa ſunt. Hæc aſſertio dicitur tradita à Sixto 4. in quadam Extrauag. contra Petrum de Oſma, quam refert Caſtro in verb. *Confeſſio.* Inſinuatur etiam in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & 15. vbi damnantur errores Ioannis VViclephi. Præcipue tamen definita fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. can. 6. quod ſtatuit, confeſſionem iure diuino eſſe ad ſalutem neceſſariam: ideo enim confeſsio neceſſaria eſt ad ſalutem, quia eſt neceſſaria ad ſacramentum pœnitentiæ, & ad peccatorum abſolutionem à ſacerdote obtinendam, vt idem cap 5. & can. 7. definit, quam abſolutionem ad ſalutem eſſe neceſſariam, idem Concilium docet: colligitque ex verbis Chriſti Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* In qua collectione conſiſtit præcipua difficultas huius materiæ, & ideo accuratius explicanda eſt. Concilium Tridentinum ex eo colligit hanc neceſsitatem, quod *Chriſtus è terris aſcenſurus ad cælos, ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam Præſides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina*

*Ioan.*

*Quomodo Tridentinum colligit neceſſitatem huius ſacramenti.*

*crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo, pro poteſtate clauium remiſsionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuncient.* In quibus verbis hæc illatio virtute continetur, Chriſtus conſtituit ſacerdotes iudices peccatorum mortalium: ergo iudicium eorum, & conſequenter ſacramentum pœnitentiæ, quod idem eſt, eſt medium neceſſarium ad remiſsionem talium peccatorum ex vi eiuſdem inſtitutionis.

4 *Difficultas prima circa illationem.* Hæc vero conſequentia nonnullas patitur difficultates. Prima eſt, quia, licet Chriſtus inſtituerit iudicium ſacerdotum tanquam vtile & ſufficiens ad remiſsionem peccatorum, non inde fit inſtituiſſe etiam vt neceſſarium: nam illud prius generalius eſt, & ex hac parte videtur illatio eſſe ab amplo, vt inquiunt, ad non amplum affirmatiue, quæ in virtute eſt ex puris particularibus: quia multa poſſunt eſſe media vtilia, ſeu ſufficientia ad eundem finem, & plures cauſæ ad eundem effectum, quamuis nulla earum neceſſaria ſimpliciter ſit. *Secunda.* Secundo obſtat, quia in ſimili forma videtur eadem illatio non eſſe bona, quia etiam conſtituit Chriſtus ſacerdotes iudices peccatorum venialium: nam etiam in ſacramento pœnitentię de illis iudicant, & ea remittunt: & tamen non ſequitur iudicium eorum eſſe mediũ neceſſarium ad remiſsionem peccatorum. *Tertia.* Tertio eſt difficultas in probatione illius conſequentiæ, quam Concilium ſubiungit, dicens, *Conſtat enim ſacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe.* Hæc enim ratio optime probat confeſsionem eſſe neceſſariam ad illud iudicium, non tamen probat ipſum iudicium eſſe neceſſarium ad remiſsionẽ peccatorum: *Quarta.* quod erat inferendum, & probandum. Et præterea eſt quarta difficultas, quia hoc ipſum, nimirum, remiſsionem peccatorum eſſe dandam à ſacerdotibus per modum iudicij, licet à Concilio tradatur ex perpetuo ſenſu Eccleſiæ: non eſt tamen in Euangelio expreſſum, quia illa verba, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. &c.* valde generalia ſunt, & poſſent aliis modis verificari: ergo quamuis admittamus illam argumẽtationem Concilij, nihilominus non inde ſatis probatur, neceſsitatem hanc ſufficienter colligi ex illis verbis Ioannis, cum antecedens ipſum & fundamentum totius illationis non ſatis ex illis colligatur.

*Locus Ioan. 20. expenditur.*

5 PRopter hæc dicere poſſet aliquis, verba illa Ioannis per ſe non ſufficere ad hanc veritatem demonſtrandam: neque id voluiſſe Concilium docere: ſed ex illis adiuncta declaratione Eccleſiæ & traditione, hanc veritatem haberi. Sed hoc duplicem ſenſum habere poteſt; vnus eſt, vt traditio Eccleſiæ aliquid addat, & doceat in hoc negotio, quod illis verbis, vel expreſſe ac formaliter, vel virtute, & per neceſſariam conſequentiam non contineatur, ſed aliunde manauerit ex doctrina Apoſtolorum, & ex vtroque compleatur fundamentum huius veritatis. Quale eſſet, ſi quis diceret, ex illis verbis haberi poteſtatem remittendi peccata, Apoſtolos autem docuiſſe Eccleſiam, mentem Chriſti fuiſſe, vt illa remiſsio exerceretur per modum iudicij: aut, ſi quis diceret ex illis verbis haberi, ſacerdotes eſſe iudices, Apoſtolos vero declaraſſe eſſe vnicos, ac neceſſarios iudices. Alius ſenſus eſt, verba quidem ipſa Chriſti in ſe ſufficienter continere hanc veritatem, Eccleſiam autem ſua traditione, vel definitione declaraſſe hunc eſſe ſenſum verborum Chriſti: quia ad ipſam, ſeu caput eius pertinet huiuſmodi authentica declaratio, & ſenſus ille non eſt tam clarus, quin fuerit neceſſaria. Priorem modum dicendi ſignificarunt Scotus, Caietanus, & alij Scholaſtici ſupra citati: quorum opinio ante Concilium Tridentinum tolerari poterat, quia nondum res erat ſatis declarata.



A Nunc vero poſterior dicendi modus certus eſt, 6 qui eſt manifeſte intentus à Concilio Tridentino. Nam in c. 1. dicit, *illo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis dediſſe Chriſtum Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus poteſtatem ad reconciliandum fideles poſt baptiſmum lapſos:* & vniuerſos Patres, ait, verba illa ita intellexiſſe, vtpote ſatis perſpicua: non ergo aliquid eis addendo, quod in ipſis non contineatur, ſed id, quod in eis continetur, declarando. Loquitur autem Concilium de reconciliatione iudiciaria, qualis fit in hoc ſacramento: & ideo inde etiam colligit inſtitutionem huius ſacramenti. Et ex hoc principio infert in ſequentibus capitibus differentiam inter hoc ſacramentum, & baptiſmum, colligit etiam B partes huius ſacramenti, ac denique c. 5. concludit eiuſdem ſacramenti neceſsitatem, vt contentam in eiſdem Chriſti verbis, declarans hunc eſſe ſenſum illorum verborum iuxta Eccleſiæ conſenſum. Quomodo autem hoc verum habeat, & perſuadeatur ratione, præter Concilij authoritatem, explicabitur melius reſpondendo ad difficultates tactas.

*Quorundam reſponſio ad primam difficultatem circa Concilium.*

AD primam reſpondent aliqui, ſacerdotes non 7 fore veros iudices, niſi poſſent fideles compellere, vt de cauſis ſuorum peccatorum coram ipſis agerent: C nam, ſi liberum eſt reo accuſari, vel non accuſari coram aliquo, vt ab eo iudicetur, ille non poteſt dici verus iudex, ſed ad ſummum arbitrarius. *Vide Richardum d. 17. ar. 2. q. 1.* *Reiicitur.* Hæc vero reſponſio non ſatisfacit: primo quia, licet daremus totum, quod aſſumitur, non ſatis inferretur hæc neceſsitas ex vi ſolius diuini iuris, ſed ad ſummum colligeretur, eſſe in Eccleſia poteſtatem ad compellendum fideles ad confeſsionem peccatorum per Apoſtolicum præceptum: quod alij autores facile admittunt. Secundo illud, quod aſſumitur, verum non eſt: nam, vt aliquis ſit verus iudex, non eſt neceſſe, quod poſsit alium compellere, vt coram ſe iudicandus appareat: nunc enim multi ſunt ſacerdotes in Eccleſia habentes iuriſdictionem, & verum iudicium exercentes in hoc ſacra- D mento, qui non poſſunt alios compellere, vt ſibi cõfiteantur, ſed voluntarie accedentes, & ſe accuſantes iudicant. Nec tamen ſunt iudices arbitrarij, neq; habentes iuriſdictionem à reis ſe illis ſubiiciẽtibus, ſed ſunt iudices delegati à ſupremo iudice, ita tamẽ, vt cum plures ſint delegati, vel ordinarij iudices, liberum ſit pœnitentibus, ad quem voluerint accedere: propter quod aliquando vocantur arbitrarij, ſeu voluntarij iudices. Ad hunc ergo modum intelligi poſſet reſpectu totius poteſtatis remittendi peccata communicatæ hominibus. nam comparatione Dei omnes ſacerdotes participantes illam poteſtatem, ſunt quaſi iudices delegati ab ipſo, ſeu Vicarij ipſius: potuit autem eis committere vices ſuas, & veram iuriſdictionem in fauorem & vtilitatem reorum, E abſque neceſsitate, ſed relinquendo in arbitrio eorum, vt vel ſacerdotibus ſe ſubmitterẽt, vel, ſi, mallent, coram ſupremo iudice immediate comparerent. Quod etiam ſatis cõfirmat exemplum de peccatis venialibus. nam reſpectu eorum etiam ſacerdotes ſunt iudices: & tamen non poſſunt compellere ad illorum confeſsionem.

Alij reſpondent. Chriſtum Dominum ex vi illorũ 8 verborum erexiſſe in Eccleſia publicum tribunal, *Alia ſolutio.* in quo cauſæ peccatorum baptizatorum hominum tractarentur, & terminarentur, & in eo conſtituiſſe ſacerdotes vt ordinarios iudices: quando autem in aliqua Republica bene inſtituta Rex conſtituit aliquod tribunal ſimile, illud eſt quaſi vnicum refugium, & neceſſarium medium ad lites terminãdas: ſic ergo ex prædicta Chriſti inſtitutione recte colligitur neceſsitas huius medij ad peccatorum cauſas

tractandas, & eorum remiſsionem obtinendam. Hanc reſponſionē inſinuat Soto d. 18. 1. ar. 1. vbi hanc conſequentiam exiſtimat euidentem, *Sacerdotes ſunt iudices ordinarii, ergo ſunt iudices neceſſarii*: quia, ſi non eſſent neceſſarij, non haberent vim coerciuam, ergo non eſſent iudices ordinarij. Et ideo acriter inuehitur in Scotum eo quod vocauerit ſacerdotes iudices arbitrarios ex vi verborum inſtitutionis.

*Soto.*

*Scotus à Soto reprehenditur.*

9 Sed ipſe Soto ex parte procedit æquiuoce, non diſtinguens inter iudicem arbitrum & arbitrarium: & recte probat ſacerdotes non eſſe iudices arbitrarios, id eſt, habentes iuriſdictionem ex conuētione partium, in quo ſenſu non eſt locutus Scotus. Non tamen videtur ſatis probaſſe Soto, ſacerdotes eſſe iudices neceſſarios, vel (quod idem eſt) non eſſe arbitrarios, vt Scotus aiebat. Primo quidem, quia non omnes ſacerdotes ſunt iudices ordinarij, ſed ex cōmiſsione, vt cōſtat ex adductis diſp. præcedenti ſect. 3. & infra diſputando de miniſtro, latius dicetur. Reliqui vero, licet dicātur ordinarij iudices, quatenus ſunt animarum paſtores ex officio, tamen comparati ad Chriſtum ſunt iudices delegati, iuxta illud Pauli 2. ad Corint. 5. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur*, quia ſolum ſunt vicarij ipſius: nihil autem repugnat, vt in proximo puncto dicebamus, aliquem eſſe iudicem delegatum, & non eſſe neceſſarium in prędicto ſenſu: Soto vero omnem iudicem, qui non accipit à reo poteſtatem, ſed à Principe, ordinarium iudicem vocat: nam ex eo ſolum probat ſacerdotes eſſe iudices ordinarios, quia non à pœnitentibus, ſed à Chriſto poteſtatem accipiunt. Secundo, quia, licet in bono ſenſu demus omnes ſacerdotes eſſe iudices ordinarios, non ſequitur eſſe neceſſarios: nec illa conſequutio recte probatur ex eo, quod non haberent vim coerciuam.

*Soto impugnatur.*

*2. Cor. 5.*

10 Duobus enim modis intelligi poteſt vis coerciua in iudice: primo, vt compellat reum ſiſtere in iudicio, & cauſam coram ſe agere: & hoc ſenſu non eſt de ratione iudicis ordinarij, vt habeat vim coerciuam: nam, ſicut oſtenſum eſt hoc non eſſe de ratione iudicis delegati, ita oſtendi poteſt non eſſe de ratione iudicis ordinarij. Quia etiam poteſt Princeps duos aut tres Prętores tanquam ordinarios iudices in ciuitate conſtituere, & nulli eorum dare poteſtatem coercendi ciues ad agendas cauſas coram ipſis, ſed hoc volūtati ſubditorum relinquere. Et facilius hoc fieri poſſet, ſi Princeps ſibi reſeruaret poteſtatē, iudicandi, & coercendi eos, qui nollent ab inferioribus iudicibus à ſe inſtitutis iudicari. Ita ergo facile intelligere poſſumus fuiſſe à Chriſto factam huius iudicij inſtitutionē, & feciſſe ſacerdotes iudices ordinarios pro his, qui vellent ab ipſis iudicari, non dando poteſtatem ſacerdotibus, vt eos cogere poſſent venire ad ſuum iudicium, imo nec ſuo diuino præcepto eos ad hoc compellendo, ſed eis liberum relinquendo, vt ſi potius vellent à Deo ſolo immediatè iudicari, coram eo poſſent ſuam cauſam agere: vel, ſi hoc ipſi in hac vita negligerent, Deus ipſe ſuo tempore ad iudicium cogeret. Atq; hic modus inſtitutionis eo eſt facilior in hoc iudicio, quod ad fauorem & commodum rei totū ordinatur: & ideo potuit arbitrio eius relinqui, vt eo vteretur, ſi vellet.

*Duplex vis coerciua in iudice.*

11 Alio vero modo intelligi poteſt, vim coerciuam eſſe neceſſariam in iudice ordinario ad iudicium ipſum perficiendum poſtquam accuſatio cauſæ ad ipſum delata eſt. Et hoc ſenſu facile admittam eſſe neceſſariam aliquam vim coerciuam in eo iudice, ad quem ſpectat iuſtum de criminibus iudiciū ferre, quia neceſſe eſt, vt poſsit crimina punire, q; non fit ſine aliqua coactione proportionata pro ratione iudicij. Hoc autem modo habent ſacerdotes vim coerciuam etiam in eos pœnitentes, qui alias nō tenebātur, nec cogi poterant eis confiteri. Nam poſtquam confitentur, poſſunt eis condignam ſatisfactionem imponere, & ad illam implendam eos obligare, quæ eſt coactio huic foro accōmodata, quia in eo tota cauſa voluntarie agitur, ideoq; per volūtariam ipſiuſmet rei executionem ſatisfactio exhibenda eſt. Denique totus hic diſcurſus confirmatur exemplo adducto de peccatis venialibus: nam ſacerdotes etiam ſunt iudices ordinarij talium peccatorum, licet non habeant vim coactiuam in pœnitentes, vt eos compellant ad confeſsionem eorum, quia nihilominus habent poteſtatem ordinariam (modo ſupra expoſito) ad abſoluendum ab ipſis, & ad puniendum illa per impoſitam ſatisfactionem poſtquam reus illa confiteri vult.

His rationibus ſine dubio probatur, ex illa ſola reſponſione Soti, ſeu (quod idem eſt) ex præciſa poſtate remittendi peccata à Chriſto ſuis miniſtris cōceſſa, non colligi omnino euidenter, & efficaciter prædictam neceſsitatem: quia rationes factæ ſaltem demonſtrant, potuiſſe Chriſtum inſtituere hoc ſacramentum, & dare prædictam poteſtatem modo declarato, & ſtante illo modo inſtitutionis potuiſſe dicere, *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, ſiſtendo in hoc membro affirmatiuo, vt ipſe Soto loquitur. Nihilominus tamē illa ſemper mihi viſa eſt valde probabilis coniectura, & moraliter ſatis efficax. Quando Princeps in Republica conſtituit publicum tribunal, & ordinarios iudices, apud quos cauſæ agantur, illam eſſe viam ordinario iure neceſſariam ad lites terminādas, vel punienda delicta, nec ſolere ab ipſo Principe immediate iudicium vſurpari abſq; ſpeciali diſpenſatione. Sic ergo Chriſtus inſtituendo hoc tribunal, illud conſtituit tanquam viam ordinariam, & neceſſariā ad terminandas cauſas peccatorum: in qua quidem neceſsitate poſſet ipſe, ſi vellet, diſpenſare, ſeu ab hoc tribunali & iudicio aliquem eximere, tamen, niſi de tali diſpenſatione conſtet, illa eſt vnica & neceſſaria via. Vnde, ſicut Chriſtus dixit Matth. vlt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*: in qua locutione (licet ſolum affirmatiua) includitur illa negatiua, quam idem Chriſtus explicuit Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio*: quia licet principalis poteſtas ſemper apud Patrem maneat, ſtatuit tamen non per ſe quatenus Deus eſt, ſed per Chriſtum Deum hominem hāc poteſtatem exercere: & hoc fuit Chriſto poteſtatem cōcedere, illum ſcilicet facere vnicū, & immediatum, ac ordinarium iudicem hominum, iuxta illud Act. 17. *Statuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate in viro, in quo ſtatuit, &c.* ita ad hunc fere modum recte intelligimus, datam eſſe Apoſtolis poteſtatē, & hanc vim, & energiam habere verba illa, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: ac ſi virtute diceret, *Ego iam non iudico quemquam quoad remiſsionem peccatorum in hac vita, ſed omne iudicium vobis committo*: nam moraliter loquendo, hic eſt ſenſus: Princeps quādo ſimili modo ſuas vices committit, & præſertim quando lege ſtabili ac perpetua tale iudicium inſtituit. Quem ſenſum inſinuare mihi viſus eſt Auguſtin. l. 50. hom. in 49. dicens, *agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia.* Infra, *Nemo ſibi dicat, occulte ago, apud Deum ago.* Infra, *Ergo ſine cauſa dictum eſt. Quæ ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cælo: ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei, fruſtramus Euangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti, promittimus quod ille negat.* Quod verbum vltimum expendendum animaduerto. Nam Auguſtin. nulla verba negatiua Chriſti retulerat, ſed tantum affirmatiua; *Quæ ſolueritis, ſoluta erunt*, & nihilominus ait. Qui promittit remiſsionem niſi per hanc poteſtatem, promittere q; Chriſtus negat: ergo intellexit, per illa verba ita Chriſtum commiſiſſe hominib. illam poteſtatem, vt eo ipſo ſtatuerit illa nō vti, niſi per ipſos. Et in eodem ſenſu dixerunt Bernardus, & alij Patres tam eſſe mirabilem potentiam Petri, vt neceſſarium ſit ſententiam eius præcedere ſententiam cæli. 12

*Soti coniectura probabilis exiſtimatur.*

*Matth.*

*Ioan.*

*Actor.*

*Auguſt.*

Hæc

13 *Tertia & genuina ſolutio.*

Hęc vero coniectura fiet efficax & conuincens ratio, ſi tertiam reſponſionem addamus. Dico ergo ad difficultatem primam, procedere ex falſo fundamento, quia Concilium non colligit hoc iudicium eſſe medium neceſſarium ad remiſsionem peccatorum ex eo ſolum, quod ſacerdotes inſtituti ſint iudices; ſed ex eo, quod tales ſint iudices, vt ad eos, pertineat remiſsionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronunçiare: hæc enim fere verba Concilium interpoſuit: & in eis poſita eſt vis illationis, & ſolutio difficultatum omnium. Quia licet ſacerdotes poſſent remittere peccata confitentium, etiam ſi vſus confeſsionis, vel huius ſacramenti eis nõ eſſet neceſſarius, ſed voluntarius, tamen retinere peccata non poſſent, ſi confeſsio non eſſet neceſsitatis, ſed voluntatis tantum. Nam ſacerdos ſolum poteſt retinere peccata non remittendo illa: ſi autem hoc ſacramentum non eſſet neceſſarium mediũ ad remiſsionem peccatorum, quantumcunque ſacerdotes ea non remitterent, illa non poſſent retinere, quia per ſolam contritionem plene ac perfecte poſſent peccatores illorum remiſsionem conſequi. Vt ergo ſacerdotes poſsint exercere illam poteſtatem quoad vtrumque actum ſuum, oportet vt fideles non ſolum poſsint, ſed etiam teneantur vti hoc medio, tanquam neceſſario ad peccatorum remiſſionem. Vnde in his verbis ſecundum vtramque eorum partem ſpectatis continetur non ſolum hæc conditionalis, *Si ſacerdotes, vos à peccatis abſoluerint, abſoluti eritis*; ſed etiam hæc, *Si ipſi non remiſerint peccata, remiſſa non erunt*, ſeu (quod idem eſt) *retenta erunt*: per quam conditionalem ſolet in Scriptura explicari neceſsitas medij iuxta ſubiectam materiam, vt patet ex illo Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, peribitis.* Quod cum proportione applicatur ad modum pœnitentiæ in lege gratiæ inſtitutum, ſub verbis virtute æquivalentibus, vt explicatum eſt.

*Vide VValdenſem 2. tom de Sacramentis c. 238.*

*Luc.*

14

Propter quod, ſicut pœnitentia abſolute dicitur à ſanctis Patribus fuiſſe ſemper ſecunda tabula poſt naufragium; ita & ſacramentalis pœnitentia in noua lege, vt Concilium Tridentinum indicauit, & ſumi poteſt ex Hieronymo epiſt. 64. & ex aliis ſupra adductis diſp. 1. huius materiæ ſect. 1. Deniq; hic ſenſus horum verborum optime confirmatur ex aliis ſimilibus, quibus promiſſæ ſunt claues Eccleſiæ, & ſub ea metaphora promittitur poteſtas claudendi, & aperiendi regnum cælorum: quia neceſſe eſt, vt regnum cælorum non poſsit patere peccatori ſine actu huius clauis: nam illud vere dicitur ſub claue eſſe clauſum, quod ſine claue aperiri non poteſt, vt in eadem metaphora Apocal. 3. declaratum eſt. Vbi cum de Chriſto dictum fuiſſet, *Qui habet clauem Dauid*: ſubditur, *Qui claudit, & nemo aperit, & nemo claudit*: idem ergo eſt proportione ſeruata de claue Petri. Siç ergo in vtroque actu illius clauis neceſsitas medij continetur.

*Hieronym.*

*Apocal.*

### *Obiectiones quædam contra reſolutionem.*

15 *Prima.*

Sed dicet aliquis: Etiam nunc non poſſe ſacerdotem ita retinere peccata, quin ſine eius abſolutione illa tollantur, ſi pœnitens contritionem habeat; ergo ex poteſtate retinendi non colligitur neceſſitas medij. Item obiicit Ianſenius in Concordia. c. 147. quia *retinere*, non ſolum ſignificat non remittere, ſed etiam aliquem poſitiuum actum ligandi, aut obligandi, vt ex vi & proprietate verborum conſtat: ergo ex verbo retinendi negatiue explicato nõ poteſt ſumi efficax argumentum, quia, cum præcipue dicat actum poſitiuum, inde ſolum poteſt haberi quod ſacerdos ſoluerit, vel ligauerit, ſolutum, aut ligatum manere: cum hoc tamen ſtare poterit, vt quamuis ipſe neque ſoluat, neque liget, homo alia via ſoluatur, vel ligetur. Rurſus hic etiam vrget difficultas de peccatis venialibus, nam de illis poteſt confeſſor abſolutionem negare ea retinendo, ſi reuera non ſit diſpoſitus pœnitens ad eorum remiſſionem: & nihilominus reſpectu illorum non infertur neceſsitas medij. Accedit tandem, quod ſicut remiſsio, ita & retentio poteſt intelligi non abſolute, ſed ſuppoſita voluntaria ſubiectione peccatoris. Vnde ſolum fit, poſſe ſacerdotem retinere peccata ſuppoſita confeſsione eorum, ſi non iudicet pœnitentem eſſe dignum: peccata vero ſibi non confeſſa non propterea poterit retinere: & ita non concluditur, confeſsionem peccatorum eſſe neceſſarium medium ad remiſsionem eorum.

*Secunda. Ianſen.*

*Tertia.*

*Quarta.*



16 *Prima obiectionis ſolutio.*

Ad primam obiectionem reſpondetur, eum, qui per contritionem hunc conſequitur remiſsionem peccatorum, ſemper manere obnoxium huic iudicio: & ideo neque conſequi talem remiſsionem ſine ordine ad illud, neque omnino manere ſolutum, quia licet maneat liber à culpa coram Deo, ſemper manet obligatus ſiſtere in hoc tribunali, vt ſententiam abſolutionis, vel retentionis peccatorum in illo audiat. Et in hoc ſenſu accipiendum eſt, quod ſignificat Adrianus q. 2. de Confeſsione, licet peccata tunc non retineantur quoad culpam, retineri quoad obligationem confitendi. Non enim poteſt eſſe ſenſus, quod poteſtas retinendi peccata data ſacerdotibus, proxime & directe ſit ad retinendam obligationem confitendi, & non potius ad retinenda ipſamet peccata, hoc enim plane falſum eſt, tũ quia poteſtas remittendi peccata non eſt poteſtas remittendi obligationem, ſed ipſaſmet culpas: ergo idem cum proportione eſt de poteſtate retinendi, tum etiam, quia obligatio confitendi peccata non retinetur à ſacerdote, ſed retinetur ab ipſomet Chriſto ex vi inſtitutionis eius, & legis nondum impletæ. Senſus ergo eſſe debet, ex poteſtate retinendi peccata ſacerdotibus data optime colligi, licet per contritionem remittantur peccata: non tamen tolli obligationem comparendi in hoc ſacramentali iudicio; & ideo licet hoc ſacramentum non ſit neceſſarium in reipſa ſuſceptum ad peccati remiſsionem, eſſe tamen neceſſarium in re, vel in voto, vt ſtatim dicetur.

17 *Replica.*

Dices: Hæc reſponſio ſupponit, quod probare intendimus, nimirum, per ſe loquendo eſſe neceſſarium confiteri peccata, & ideo obligationem illam ſemper manere, etiam ſi per contritionem remiſſa ſint. Reſpondeo, nos non ſupponere neceſsitatem, ſed ex poteſtate remittendi, & retinendi illam colligere, & conſequenter inferre, obligationem confitendi manere, non obſtante contritione. Quia, cũ illa poteſtas vniuerſe, & generatim data ſit in omnia peccata mortalia commiſſa, vt ſtatim dicemus, neceſſe eſt, vt circa omnia poſsit efficaciter exerceri; non poſſet autem exerceri vllo modo circa peccata per contritionem remiſſa, niſi maneret ſaltem obligatio confitendi talia peccata; ergo ex illa poteſtate optime colligimus illam neceſsitatem, & obligationem, vt ex reſponſione ad illas obiectiones clarius conſtabit.

*Solutio.*

18 *Secunda obiectio ſoluitur.*

Ad ſecundam ergo obiectionem Ianſenij dicimus primo, antiquos Patres illam retentionem per negationem veniæ explicaſſe, vt videre licet in Cyrillo, Euthymio, Ruperto & aliis, & non poſſe aliter exponi, ſi verbum retinendi referatur immediate ad ipſas culpas, ſicut verbum remittendi, vt ſupra euidenter probatum eſt, quia culpa ipſa non poteſt directe per actionem poſitiuam retineri: quãquam iudiciũ ipſum, quo aliquis iudicatur indignus abſolutione, actus poſitiuus ſit, quem concilium Tridentinum appellauit proferre ſententiam retentionis. Hic autem actus poſitiuus non impedit, imò confirmat conſequutionem factam: nam, cum ſacerdotes ex vi huius poteſtatis habeant ius ferendi hoc iudicium remittendi, vel retinendi peccata iuxta merita cauſæ, neceſſe eſt, vt pœnitentes co-

ramillis compareant. Secundò dicitur, etiamſi demus illam retentionem fieri poſſe per actum poſitiuum, vel ſimul cum illo, non propterea eneruari vim illationis. Dicũt enim aliqui, ſacerdotem dum negat abſolutionem pœnitenti, poſſe etiam illi imponere aliquod onus, quod facere teneatur, vt abſolutionem & remiſsionem peccati poſsit obtinere, per quod poſitiue retinet peccatum, quia de nouo ita ligat pœnitentem, vt, niſi faciat, quod ſibi iniunctum eſt, non poſsit peccati veniam obtinere, etiam per contritionem: quia nec contritionem habere poterit, niſi impleat quod ſibi eſt iniunctum, vel ſaltem propoſitum implendi habeat. Ex hoc tamen, etiam ſi concedatur, nõ tollitur neceſsitas illationis factæ, ſed eodem modo infertur: quia non poterũt ſacerdotes hoc poſitiuo modo retinere peccata, niſi exercendo iudicialem actum in hoc foro, ad quod neceſſe eſt, vt præcedat accuſatio, quæ per confeſſionem fit. An vero ille modus retentionis verus ſit, infra in materia de ſatisfactione dicam: in præſenti vero non cenſeo eſſe neceſſarium, vt iam oſtendam.

19 Ad tertiam obiectionem reſponderi poſſet, aliter poſſe ſacerdotem retinere peccata mortalia, quã venialia, nam illa poteſt & negatiue, & poſitiue modo explicato; hæc autem tantum negatiue, quia nõ poteſt obligare pœnitentem, vt aliquid faciat in remedium eorum: & ideo non poteſt illa poſitiue retinere. Sed differentia hæc nec neceſſaria eſt, nec difficultatem ſoluit. Probatur, quia ex ſola poteſtate retinendi negatiue peccata mortalia optime infertur neceſsitas illi confitendi, vt declaratum eſt: ergo illud ſufficiet in peccatis venialibus, vel alia ratio quærenda eſt. Item, quia, ſi ſenſus ſit: poſſe ſacerdotem, cum negat pœnitenti abſolutionem peccati mortalis, impœnere illi ſpeciale præceptum poſitiuum ex ſua voluntate profectum, ſine cuius obſeruatione non poſsit conſequi remiſsionem talis peccati; id profecto durum eſt, quia nullo teſtimonio authentico probari poteſt, neq; etiam ex principiis reletiatis efficaciter inferri, vt infra ſuo loco dicam. Si autem ſit ſenſus, poſſe ſacerdotem, vt paſtorem, & iudicem in illo foro, aperire pœnitenti obligationem quam ex ſe ſeu ex modo conſcientiæ ſuæ habet ad aliquid faciendum, vt poſsit à peccatis abſolui: hoc quidem veriſsimum eſt, tamen per hoc ſacerdos non addit vinculum poſitiuum, ſed declarat ſolum, quod ipſe pœnitens ex ſe habet: quod quidem etiam poteſt facere ſacerdos circa veniale peccatum, iuxta materiæ capacitatem: ergo quoad hoc nulla eſt differentia. Sed diſcrimen erit, quod, quando ſacerdos retinet peccatum mortale, efficaciter, vt ſic dicam, retinet, non ſolum quia, ſi clauis non erret, culpa vere manet; ſed etiam, quia, licet fortaſſe erret, ſemper manet obligatio procurandi abſolutionem in illo foro, quando vero ſacerdos negat abſolutionem peccati venialis, ſolum retinet illud ſecundum quid, ſcilicet, quoad hoc, vt ſacramentaliter non remittatur; non vero ita retinet, vt maneat neceſſario ſubiiciendum illi foro. Vnde vero hæc differentia colligatur, & quo modo ad verba Chriſti conuenienter aptetur, paulo poſt dicetur melius, reſpondendo ad ſecundam difficultatem poſitam circa Concilium Tridentinum.

*Tertia enodatio.*

*Non exhaurit difficultatem.*

*Vera reſponſio.*

20 Ad quartam obiectionem reſpondetur in primis, eſſe contra vim verborum Chriſti, quia non dixit, *Accipite poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, quæ ipſi peccatores voluerint*; ſed ſimpliciter *remittendi & retinendi peccata*: ergo addendo illam limitationem, derogatur verbis Chriſti, & poteſtati miniſtrorum eius, quorum iudicio, & arbitrio res commiſſa eſt, non liberæ voluntati peccantium. Deinde, ſi ante factam voluntariam confeſsionem poſſunt peccatores nolle iudicari à ſacerdotibus de remiſsione, vel retentione peccatorum, licet poſt factam confeſsionem ſacerdos negaret abſolutionem, poſſent non amplius illa peccata confiteri, neq; eorum abſolutionem ſacramentalem procurare, ſed per ſolam contritionem eorum veniam conſequi: quia confeſsio ſemel facta non addidit eis obligationem, nec ſacerdos poſſet illam addere, quia iam eſt functus officio ſuo negando abſolutionem. Sicut potuiſſent etiam quid ſimile facere in peccatis venialibus. Igitur, vt poteſtas illa retinendi peccata efficax ſit, non ſolum ad retinendum reſpectu prioris abſolutionis, ſed etiam ad retinendum ſimpliciter, neceſſe eſt, vt cadat ſimpliciter & abſolute in ipſa peccata, & quod ex illa oriatur, vel colligatur obligatio confitendi & ſubiiciendi peccata huic poteſtati, non vero quod tantum ſit quaſi ſub conditione, ſi pœnitentes voluerint ſua peccata confiteri.

*Quarta obiectio ſoluitur.*

21 Atque hinc intelligitur cur hæc neceſsitas magis ex actu retinendi, quam remittendi peccata colligatur, cum tamen ſit vna & eadem poteſtas, quæ primario ordinatur ad remiſsionem, ex conſequẽti vero, & quaſi per accidens retinet ea, quæ remiſſione digna non ſunt. Ratio enim eſt, quia, ſi eſſet poteſtas remittendi ſine poteſtate retinendi, poſſet eſſe tantum in fauorem rei, & ideo per ſe ſola non ſatis oſtenderet neceſsitatem: poteſtas vero retinendi declarat, hunc non tantum eſſe fauorem rei, ſed etiam ipſius cauſæ ſeu iuſtitiæ diuinæ, vt ſic dicam, ratione cuius datur ius ſacerdotibus abſolutũ, & independens à voluntate ipſiuſmet rei, vt poſſint & debeant cognoſcere, & iuſtum iudiciũ ferre in tali cauſa. Vnde etiam poteſtas remittendi præciſe ſumpta poſſet eſſe vtilis pœnitentibus, etiam ſi vſus eius non eſſet neceſſarius, ſed voluntarius: poteſtas autem retinendi fruſtra eſſet, ſi pœnitenti non eſſet neceſſaria ſubiectio, ſed voluntaria, vt diſcurſus ſupra factus oſtendit. Et ratio à priori eſſe videtur, quia poteſtas retinendi, vt ſic eſt ſuo modo coactiua, & ideo requirit aliquam neceſsitatem ex parte rei, cumque in hoc foro non habeat locum coactio per externam violentiam, oportet vt ſaltem ſit per obligationem præcepti. Quæ ratio locum habet, ſiue actum retinendi negatiue explicemus, ſiue etiam poſitiue, quatenus etiam hæc poteſtas eſt data ad caſtiganda & vindicanda delicta, iuxta doctrinam Concilij Tridentini ſeſſ. 14. c. 8. & can. 15. quia ſub hac ratione etiam eſt coactiua poteſtas; & ideo non datur tantum ad vindicanda ea peccata, quæ reus accuſare voluerit, alias valde inefficax eſſet ad eum finem: ſed abſolute datur ad iniurias Dei vindicandas. Ex quo etiam recte colligitur, hoc iudiciũ conſtitutum eſſe, vt neceſſarium ad peccatorum veniam conſequendam.

*Cur hæc neceſsitas magis ex poteſtate retinendi, quam remittendi peccata colligatur.*

*Secunda principalis difficultas circa Concilium Tridentinum de venialibus peccatis ſoluitur.*

STatim vero occurrit ſecũda principalis difficultas de venialibus peccatis: quæ tãgit aliam infra tractandam, cur venialia peccata non ſint materia neceſſaria huius ſacramenti. Illa ergo veritate nunc ſuppoſita, reſpondemus, poteſtatem retinendi peccata non ita extendi proprie, & ſimpliciter ad peccata venialia, ſicut ad mortalia: & ideo in eis non procedere rationem factam cum ſimilitudine formæ, vt in prædicta difficultate aſſumitur. Quia, licet Chriſtus conſtituerit ſacerdotes iudices ad remittendum, non vero ad retinendum ſimpliciter hæc peccata: Concilium autem, vt diximus, non colligit ex poteſtate iudicandi abſolute, ſed ex poteſtate iudicandi cũ facultate retinendi peccata. Interrogabit vero ſtatim aliquis, vnde poſsit hæc differẽtia colligi, cum verba Chriſti ſimplicia ſint, & quoad vtrãq; partem indiſtincte, & indefinite cadant in peccata: ergo vel ſub vtroq; membro comprehẽduntur venialia peccata, vel ſub neutro. Vnde nõ defecerunt, qui,

*Cur peccata mortalia retineri poſſint, non autem venialia.*

qui, ne concederent venialia peccata poſſe retineri à ſacerdotibus, negarent poſſe remitti. Eſt tamen omnino falſa, & erronea ſententia: alias peccata venialia non eſſent materia ſufficiens huius ſacramenti, nec ſacerdotes poſſent de illis, præſertim ſolis, abſoluere: quod eſt contra vniuerſalem ſenſum Eccleſiæ, vt infra videbimus. Sequela vero patet, quia ſi ex vi inſtitutionis ibi factæ non ſunt materia, ex vi alterius eſſe non poſſunt, quia nulla alia poſtea facta eſt: & ſi in eo loco non eſt data poteſtas circa hæc peccata, in nullo alio data eſt. Dici ergo poteſt aliter, etiam ibi datam eſſe poteſtatem ad retinenda hæc peccata, non tamen ſimpliciter, ſed poſtquam confeſſa ſunt, & in ordine ad tale iudicium, quando ſacerdos iudicat pœnitentem non eſſe ſatis diſpoſitum ad eorum remiſsionem. Sed, licet hoc verum ſit, vt in ſuperioribus eſt tactum: non tamen ſoluit præſentem difficultatem: nam adhuc ſupereſt reſpondendum ad interrogationem, cur illud, *retinere*, circa peccata mortalia intelligatur ſimpliciter, circa venialia vero tantum ſecundum quid.

*Quorũdam opinio reijcitur.*

*Aliorum opinio.*

*Non placet.*

23 Dicendum eſt ergo, rationem differentiæ eſſe, quia hæc poteſtas per ſe primo data eſt propter peccata mortalia, extenditur vero ad venialia veluti conſecutione quadam, & vtriſque accommodatur modo illis proportionato. Peccatum enim mortale ſimpliciter eſt Dei iniuria, & claudit homini ianuam regni, ad quod aperiendum claues datæ ſunt, quod maxime fit tollendo peccatum mortale. Quia vero venialia peccata, quamuis non claudant, impediunt introitum regni, & ad tempus dici poſſunt claudere, quia nihil coinquinatum illuc intrare poteſt: ideo clauis illa quatenus eſt poteſtas remittendi peccata, extenditur ad peccata venialia: nam poteſtas ſufficiens ad tollendum impedimentum perpetuum & remittendam iniuriam ſimpliciter; à fortiori ſufficiet ad tollendum impedimentum temporale eiuſdem ordinis, & ad remittendam iniuriam ſecundum quid, cuius venia eſt longe facilior. Secus vero eſt de actu retinendi, qui, vt dixi, coactionem indicat, quæ minor eſſe debet circa minores iniurias, quam circa maiores, ideoq; actus retinendi non æque extenditur ad venialia peccata, neque in hoc habent tantam connexionem cum mortalibus, ſicut in remiſsione. Quod recte explicatur ex illa ratione temporalis impedimenti, nam inſtitutio huius ſacramenti non mutauit quoad hoc naturam peccati venialis: ideoque quantumuis illud peccatum per hoc ſacramentum non remittatur, ſemper manet impedimentum temporale, quod in purgatorio poterit auferri, & ideo reſpectu illius nõ potuit ſecundum rerum naturam, aut congruentiam, vel potius non debuit hoc ſacramentum vt neceſſarium medium relinqui, atque adeo nec poteſtas retinendi eodem modo extendi potuit ad hæc peccata.

*Vna differentia traditur.*

24 Quocirca, quamuis Chriſti verba in exteriori ſpecie ſimplicia ſint, & vniformia, tamen, quia in ipſo nomine, *peccata*, includunt analogiam quãdam, ideo ex ſe poſtulant, vt cum proportione debita ad ea, quæ ſub ſe continent, applicentur iuxta materiæ capacitatem. Sicut etiam hæc verba, *Niſi pœnitentiam peccatorum egeritis, eorum veniam non conſequemini*, vniformia ſunt: & tamen duas propoſitiones includunt, vnam affirmatiuam, *Si pœnitentiam peccatorum egeritis, eorum remiſſionem obtinebitis*, quæ non minus venialia, quam mortalia peccata complectitur: alia eſt negatiua, *Si non egeritis pœnitentiam, non obtinebitis veniam*, quæ non æque comprehendit mortalia, ac venialia: Nam in mortalibus ſimpliciter vera eſt, in venialibus autem ſolum ſecundum quid, ſcilicet, non obtinebitis ex vi talis diſpoſitionis, aut niſi aliud medium adhibueritis. Sic ergo in præſenti dicendum eſt, nam, vt ſupra diximus prædicta Chriſti A verba, quatenus neceſsitatem medij continent, ad ſimiles conditionales propoſitiones reuocantur. Atque hæc doctrina fundamentum habet in D. Thoma quæſt. 84. artic. 2. ad 3 & latius eam explicarunt Canon. dict. relect. de Pœnitentia p. 5. & Ruardus art. 5. & alij quos referemus infra agentes de integritate.

*D. Tho. Canon. Ruard.*

### *Enodatur tertia difficultas circa Concilij illationem.*

25 TErtia difficultas erat circa rationem Concilij, ſcilicet, quia ſacerdotes non poſſunt iudicare B incognita cauſa. Nam hæc ratio immediate concludit confeſsionem eſſe neceſſariam, vt ſacerdotes actum ſuæ poteſtatis exercere poſsint: quod eſt verum. Inquiritur autem quomodo inde inferatur neceſsitas ſimpliciter confeſsionis. Reſpondetur vero ex dictis optime id colligi, quia iudicium ſacerdotis eſt ſimpliciter neceſſarium: quod probatum relinquitur à Concilio ex alio principio, quod ſacerdotes ſunt iudices habentes poteſtatem ſimpliciter remittendi, aut retinendi peccata. Vnde illa ratio non aufertur à Concilio ad concludendam immediate neceſsitatem totius ſacramenti, ſed ſolum ad concludendum confeſsionem eſſe neceſſariam ad vſum illius poteſtatis, ac proinde etiam ad remiſsionem peccati. Vnde obiter aduerto, quod licet C ad retinenda peccata iuridico modo, & proferendo ſententiam, vt Concilium loquitur, tam neceſſaria ſit confeſsio, ſicut ad peccata remittenda: nihilominus, vt peccata retineantur ſeu non remittantur, ſufficit negatio confeſsionis voluntaria, ſeu in re & in voto, quia eſt negatio medij neceſſarij ad remiſsionem peccati. Ex quo dicere poſſumus, hanc poteſtatem clauium duobus modis retinere peccata, vno modo proxime & iudicialiter, alio modo remote & per ſolam negationem remiſsionis, qualis eſt circa peccata etiam non confeſſa: & vterque modus eſt verus, & virtute contentus in verbis Chriſti, maxime propter poteſtatem retinendi.

*Dupliciter retinentur peccata per clauium poteſtatem.*

26 Vltima difficultas facile expeditur. Nam quod D Concilium ſupponit, nimirum actum huius poteſtatis exercendum eſſe per modum iudicij, in eiſdem verbis Chriſti ſufficienter continetur. Primo quidem, ſi ſiſtamus in poteſtate remittendi, quia certum eſt non communicaſſe Chriſtum Apoſtolis totam excellentiæ poteſtatem, quam habebat ad remittenda peccata: & ideo non eſt veriſimile arbitrio eorum reliquiſſe modum illius remiſsionis, hoc enim erat proprium ipſius: nullus autem alius determinatus modus aſsignari poteſt, vel ex vſu, & praxi Eccleſiæ, vel etiam ex ratione, ſeu qui ſit ita conſentaneus iuſtitiæ erga Deum, & humanæ fragilitati & curationi: recte ergo intellexit Eccleſia illum actum ſibi committi per modum iudicij. Quæ ratio optima eſt, ſed aliquid habet congruentiæ, & coniecturæ: aliquid etiam poſtulat ſupplendum & E declarandum ex traditione Eccleſiæ. Verbum igitur *retinendi*, hîc etiam mihi videtur includere conuincentem rationem. Eſſet enim ineptiſsimum, & præter omnem rationem committere hominibus, vt ſuo arbitrio ſine cauſæ examinatione, & abſq; prudenti, & iuſto iudicio poſſent aliorum peccata remittere: ergo eo ipſo quod talis poteſtas conceditur euidenter ſignificatur, eſſe exercendam per modum iudicij, nec poteſt concipi quo alio rationabili modo fieri poſſit.

*Quarta difficultas diluitur.*

27 Dices, etiam poteſtas baptizandi eſt poteſtas remittendi peccata, quę conſequenter eſt etiam poteſtas retinendi, quia per negationem baptiſmi retinetur peccatum, ſicut per negationem abſolutionis. Et ideo multi ſancti intelligunt in his verbis Chriſti

*Obiectio.*

*Soluitur.*

A etiam eſſe contentam illam poteſtatem, vt ſupra retuli: & tamen illa poteſtas non exercetur per modum iudicij, ex vi prædictorum verborum. Reſpondetur, hæc verba ad literam, & in omni vigore ac proprietate non comprehendere baptiſmum: & ſupra dixi, Patres, qui interdum aliud ſignificare videntur, pie exponendos eſſe, locutos eſſe per quandam extenſionem, vel accommodationem ad explicandam vnam poteſtatem per aliam, vel vt alteram ex altera credibilem facerent. Poteſtas ergo baptizandi non eſt poteſtas ad retinenda peccata: nec Chriſtus Dominus eo modo illam contulit, ſed abſolute dixit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Vnde, ſicut B poteſtas prædicandi non eſt poteſtas retinendi tenebras infidelitatis, ſed illuminandi: ita cum proportione dicendum eſt de poteſtate baptizandi, quia per ſe primo eſt ad tollendum originali peccatum. Et ideo actus illius poteſtatis nulla iuſta ratione poteſt negari infantibus, vt propterea dicatur poteſtas retinendi peccata: adultis vero interdum poſſet negari per accidens, propter defectum neceſſariæ diſpoſitionis. Hoc vero commune eſt omnibus ſacramentis, vnde non eſt ex ſpeciali actu illius poteſtatis, ſed ex natura rei ſequitur, quia *ſanctum non eſt dandum canibus.* Multoque minus poſſunt miniſtri baptiſmi ex vi illius poteſtatis ligare aliquo poſitiuo modo, qui ad vindictam de peccato ſumendam pertineat. Eo tamen modo quo poſſunt negare baptiſmum, neceſſe eſt, vt aliquam C rationem iudicij obſeruent, quia non ſuo arbitrio, ſed iuxta rationem, & æquitatem iudicij id facere poſſunt.

### *Teſtimoniis Patrum roboratur aſſertio poſita.*

28 Ex his ergo ſatis conſtat propoſita veritas tam ex verbis Chriſti, quam ex doctrina Conc. Tridentini conſtat etiam totam rationem huius neceſſitatis poſitam fuiſſe in voluntate Chriſti, quamuis multæ illius congruentiæ dari poſsint, quæ in hac & pręcedenti diſputatione tactę ſunt, & infra tractando de pręcepto confeſsionis iterum occurrent. Nũc D ad doctrinæ complementum supereſt, vt Patrum conſenſionem & traditionem adiungamus. Clemens Romanus in epiſt. 1. admonet vt ſi forte alicuius cor malum aliquod latenter irrepſerit, non erubeſcat hoc confiteri ei, qui præeſt, *vt poſsit æterni ignis pœnas effugere, & ad perpetua vitæ præmia peruenire.* Vbi verbum illud, *vt poſsit*, neceſsitatem ſatis indicat. Et notandum eſt obiter quod ait, etiam cogitationes internas eſſe de neceſsitate confeſsionis. Sic etiam Fabianus Papa epiſt. 2. poſt medium, dicit, *peccatores in baratrum delabi, niſi ſacerdotali auctoritate illis ſubuentum fuerit.* Lactant. lib. 4. cap. vlt. vbi ſigna hæc ponit verę Eccleſię, *In qua*, inquit, *eſt religio, confeſsio, & pœnitentia, quæ peccata ſalubriter curat.* Et cap. 17. prius dicit neceſsitatem confeſsionis ſignificatam fuiſſe in E circumciſione, & infra ſubdit. *Si cor nudauerimus, id eſt, ſi peccata confeſsi ſatis Deo fuerimus, veniam conſequemur, quæ contumacibus, & peccata ſua celantibus denegatur.* Quod verbum vltimum aperte indicat neceſsitatem. Idem habet Origenes homil. 2. in Pſalm. 37. à principio, & ſpecialiter circa illa verba, *Quoniam iniquitatem meam ego pronuncio*: ita enim ipſe legit: & addit. *Pronunciationem vocat confeſsionem peccati: docet enim Scriptura, quoniam oportet peccatum non celare intrinſecus: Nam ſicut ij, qui habent intrinſecus occultam eſcam indigeſtam, ſi euomuerint, eleuantur: ita qui peccauerunt, ſi occulant & retineant intrinſecus peccatum, ſuffocantur humore peccati: ſi autem ipſe fiat accuſator ſui, dum confitetur, omnem morbi digerit cauſam*: Et vt explicet ſe loqui de confeſsione homini facta, ſubdit,

*Clemens Roman.* *Fabian. Papa.* *Lactant.* *Origen.*

A *Tantum circumſpice cui debeas confiteri proba prius medicum: &c.* Idem homil. 2. in Leuiticum inter alia inquit, *Cum non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatum ſuum.* Et libr. 3. Periancon. cap. 1. circa medium inquit, *Qui non prius ſuorum peccatorum cognouerit mala, ac proprij oris confeſsione prodiderit, is abſolui non poterit.* Baſilius etiam in id Pſalm. 32. *Miſericordia Domini plena eſt terra*, dicit, Deum velle remittere peccatum, ſi tamen contritio, & confeſsio adſit. Et regul. 288. ex breuioribus dicit, *Neceſſario ijs peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio.* Idem in epiſtol. 15. ad Amphiloch. capit. 73. & libr. de Vera virgin.

*Baſil.*

Multa etiam habet Tertullianus libr. de Pœnit. 29
B præſertim à cap. 7. & cap. 10. habet hæc verba. *Nunquid ſi aliquid humanæ notitiæ ſubduxerimus, propterea & Deo celabimus? an melius eſt damnatum latere, quam palam abſolui?* Sic etiam Cyprianus lib. de lapſis cap. 11. circa finem, *Etiamſi mali cogitationes*, inquit, *apud Dei ſacerdotes dolenter, & ſimpliciter confitentes exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus aperiunt, ſalutarem medelam exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non irridetur.* Quæ vltima verba neceſsitatem ſignificant. In epiſtolis etiam Cypriani quam plura ſunt de hac re teſtimonia, pręſertim videri poteſt epiſtol. 52. & 54. & in 31. quæ eſt Cleri Romani ad ipſum. Quibus locis hoc notat Pamelius & alia congerit: & ſimilia fere habet Irenæus lib. 1. capite 9. vbi Feuardentius hoc ipſum, & alia notat. Idem etiam C indicauit Dionyſius epiſtol. 8. ad Demophilum non longe à principio, vbi refert ſacerdotem quendam ad pedes alterius ſacerdotis procidiſſe, vt remedium peccatis ſuis quæreret. Idem ſentit Ambroſius libris de Pœnitentia, præſertim lib. 1. cap. 2. Eandem veritatem indicat Gregorius Nyſſe. homil. 2. in Eccleſiaſt. Auguſtinus expreſſe libr. 50. homil. in 49. & 50. & ſerm. 8. de Verbis Domini, & ſerm. 66. de tempore, & tract. 49. in Ioan. Anaſtaſius Synaita Orat. de ſacra Synai, inter alia, *Chriſto Domino per ſacerdotes tua confitere peccata.* Idem ſumitur ex Leone Papa epiſt. 69. Chryſoſtomo homil 20. in Geneſ. & homil. 3. imperfect. in Matth. Gregorio homil. 16. in Ezechielem in principio, vbi dicit, confeſsionem eſſe portam anguſtam, per quam intratur ad regnum: & D homil. 26. in Euangel. in hunc ſenſum explicat dictum locum Ioannis. Et alia ex eo ſumi poſſunt 26. Moralium, cap. 23. alias 28. & hoc ipſum confirmari poteſt teſtimoniis Patrum, quos citaui Sect. præcedente, & diſputatione præcedente: ita enim ſemper exponunt inſtitutionem huius ſacramenti, & iudiciariam poteſtatem in hoc foro Eccleſiæ conceſſam. Et nonnulla peti poſſunt ex Decreto Gratiani de Pœnit. d. 1. præſertim à cap. 87. Et hoc tandem indicant Patres illa metaphora, qua vocant pœnitentiam ſecundam tabulam poſt naufragium, vt Diuus Thomas ſupra explicuit qu. 84. art. 6. Nam, licet intelligi poſsint, vt reuera ſæpe loquantur de pœnitentia virtute: tamẽ ſuppoſitis ijs quæ alijs locis docent de pœnitentia legis gratiæ recte etiam intelliE guntur de pœnitentiæ ſacramento, vnde expreſſe Hieronymus tomo ſecundo epiſt. 64. ad Pamachium & Oceanum, *Secunda*, inquit, *poſt naufragium tabula eſt culpam confiteri.*

*Tertull.* *Cypr.* *Pamel.* *Irenæ.* *Dion.* *Ambr.* *Gre. Nyſſ.* *Auguſt.* *Anaſt. Synait* *Leo Pap.* *Chryſoſt.* *Greg.* *Gratiani Decretum de Pœn. d. 1.* *D. Thom.* *Hieronym.*

### *Factum Nectarij Conſtantinopolitani Patriarchæ obiicitur.*

30 Contra hanc veritatem eſt vulgaris obiectio; quia in Eccleſia Conſtantinopolitana Nectarius eius Patriarcha prædeceſſor Chryſoſtomi, abſtulit vſum ſacramentalis confeſsionis: ergo ſignum eſt non eſſe medium ad ſalutem neceſſarium. fuiſſet enim intolerabilis error, medium ſalutis auferre. Neque ſatisfaciet, qui dixerit, erraſſe Nectarium,

ctarium, quia & priuatus Epiſcopus erat, & non admodum eruditus in Eccleſiaſticis rebus, nuper enim baptizatus ex Præfecto vrbis factus eſt Patriarcha, vt refert Ruffinus lib. 2. capit. 21. & Nicephor. libr. 12. cap. 12. Hoc, inquam, non ſatisfacit, tum quia eadem hiſtoria refert fuiſſe virum ſanctum, de quo credibile non eſt, rem adeo grauem abſque conſilio ſapientum, & prudentum attentaſſe: tum etiam, quia illum imitati ſunt alij prælati, & Eccleſiæ Orientales, & (quod amplius eſt) Chryſoſtomus Nectarij ſucceſſor eandem conſuetudinem retinuit: hoc enim totum, cum facto Nectarij referunt Socrates lib. 5. Hiſtoriæ c. 19. & Sozomenus lib. 6. c. 16. & Nicephorus lib. 12. Hiſtoriæ c 28.

*Ruffin. Niceph.* — *Socr. Sozom.*

31 *Aliquorum reſponſio.*

De hac difficultate multa dicuntur à Modernis ſcriptoribus propter hæreticos huius temporis, apud quos maius pondus habet incerta hæc hiſtoria de facto Nectarij, quam ſcriptura, & perpetua Eccleſiæ traditio. Reſpondent ergo aliqui, non adhibendo fidem huic narrationi: quia Sozomenus, vt ait Gregorius libr. 6. Epiſt. 195. multa mentitur, & ideo Eccleſia Romana eius hiſtoriam non recipit. Socrates etiam fidem non facit in hac cauſa, quia hæreticus Nouatianus fuit, ideoque ſacramentum pœnitentiæ odioſum habuit: vt Nicephorus teſtatur lib. 6. cap. 37. & lib. 9. cap. 13. & ſumitur ex eodem Socrate lib. 6. ſuæ hiſtoriæ cap. 19. Atque ita fere reſpondet Cæſar Baronius 1. tom. an. 56. qui de Nicephoro nihil dicit. Potuit autem decipi ex aliorum narratione. Sed quanquam fieri potuerit, vt dicti auctores minus fideliter in re aliqua factum Nectarij narrauerint; tamen negari non poteſt, quin aliquid ille ſuſtulerit ad hoc negotium ſpectans. Tum quia non potuiſſet facile mendacium confingi in re tam publica & manifeſta, ſi non fuiſſet in re aliqua fundamentum; tum maxime, quia non ſolum in hiſtoriis peruulgatum eſt illud factum, ſed etiam ex Chryſoſtomo in variis locis colligitur, vt ex ſequente obiectione conſtabit. Fatemur igitur, Nectarium aliquid ſpectans ad Eccleſiam, & exteriorem pœnitentiam ſuſtuliſſe; quid vero illud fuerit, incertum eſt.

*Gregor.* — *Ceſ Baron. Non admittitur.*

32 *Aliorum reſponſio.*

Aliqui ergo concedunt, illum ſuſtuliſſe vſum ſacramenti pœnitentiæ. Ex quibus nonnulli fatentur illum erraſſe, vt VValdenſis tom. 2. de Sacramentis cap. 141. Soto vero, & Cano, vt excuſent Nectarium, aiunt, non abſtuliſſe ſimpliciter, ſed ad breue tempus ad ſedandum ſcandalum in Eccleſia ſubortum ex confeſsione cuiuſdam nobilis matronæ, quę cum Diacono peccauerat. Adduntque ſuſpenſionem illam confeſsionis vſque ad tempora Chryſoſtomi duraſſe, ipſumque etiam illam toleraſſe, quia propter idem ſcandalum auſus non eſt morem priſtinum ſuæ Eccleſiæ reſtituere.

33 Sed hæc profecto nulla excuſatio eſt: quia res iure diuino præcepta, & tam neceſſaria ad ſalutem, ſuſpendi etiam ad breue tempus, vel licite, vel valide, non potuit, præſertim propter ſcandalum ortum ex ſingulari facto vnius perſonæ, & ex re valde remote pertinente ad hoc ſacramentum, non ex confeſsione ipſa. Item, quia illud non poteſt dici breue tempus, ſi Nectarius ſimpliciter abſtulit pro toto tempore vitæ ſuæ, & in eo ſtatu ſuam Eccleſiam reliquit. Denique medium illud neceſſarium non erat ad tollendum ſcandalum, quod ſufficienter tolli poterat maiorem diligentiam adhibendo circa ſecretum confeſsionis: aliunde vero erat illud medium pernicioſiſsimum Eccleſiæ, non ſolum ſuppoſita neceſſitate iuris diuini, ſed etiam ſuppoſita ſola inſtitutione, & vtilitate talis ſacramenti. Sicut nunc eſſet intolerabilis error auferre etiam ad breue tempus ab aliqua Eccleſia vſum ſacramenti Confirmationis, vel Extremæ vnctionis, etiamſi demus non eſſe ſub præcepto iuris diuini. Propter quod, ſi exemplum Nectarij aliquid valet, non ſolum probat illum ſenſiſſe vſum confeſsionis non eſſe neceſſarium ad ſalutem, ſed etiam ignoraſſe eſſe vtilem ad ſanctificationem animarum, & remiſsionem peccatorum, quod veriſimile non eſt, & ideo incredibile mihi eſt illum abſtuliſſe vſum confeſſionis ſacramentalis etiam ad tempus, niſi concedamus Nectarium fuiſſe à Nouatianis deceptum: à qua ſententia non longe abeſt Baronius ſupra. Non inuenio tamen ſufficiens fundamentum vt hanc notam illi vero imponamus: præſertim cum falſum eſſe conſtet, vel Chryſoſtomum, vel alias Eccleſias Orientis talem confeſsionis ſuſpenſionem, aut probaſſe, aut toleraſſe, vt ſtatim oſtendemus. Item quia Eccleſia Conſtantinopolitana nunquam apud veteres de hoc errore male audiuit, neque à Summis Pontificibus de illo reprehenſa eſt.

*Reiicitur.*

34 Hæc vero omnia maxime procedunt ſi in eo ſenſu credatur Nectarius confeſsionem abſtuliſſe, vt vſum eius prohibuerit: nam ſi quis diceret illum non prohibuiſſe, ſed ſolum ſtatuiſſe, vt fideles non cogerentur ab Eccleſiæ miniſtris confiteri, vel vt nulli ſacerdotum eſſet hæc cura peculiariter commiſſa, ſed vniuſcuiuſque conſcientiæ reliquiſſe, vt ius à CHRISTO inſtitutum ſeruaret, vel illo vteretur vt vellet (ſi quis, inquam hoc diceret) quidpiam minus incredibile aſſereret: inde tamen illud argumentum ſumi poſſet contra veritatem Catholicam ſupra fundatam, quia neceſſe non eſt vt Eccleſia ſemper & in omni tempore, hoc loco adhibuerit peculiarem determinationem huic præcepto diuino, aut coactionem aliquam, per quam ad illius obſeruationem fideles compelleret. Vnde addunt aliqui, Nectarium non abſtuliſſe ſimpliciter confeſsionis vſum, ſed ſolum quatenus præmitti ſolet, vt neceſſaria diſpoſitio ad Euchariſtiam, quia facilius ignorari potuit, talem diſpoſitionem, ſeu præparationem neceſſariam eſſe iure diuino. Quod etiam hiſtoriæ citatæ ſignificant, dum aiunt, à Nectario fuiſſe permiſſum vnicuiq; vt ſecundum conſilium conſcientiæ ſuæ, ad diuina participanda poſſet accedere. Veruntamen hoc etiam facile poſſet intelligi abſq; admiſtione erroris, nimirum, Nectarium nec prohibuiſſe diſpoſitionem ad Euchariſtiam, nec docuiſſe non eſſe neceſſariam ex Chriſti mandato: ſed vniuſcuiuſque conſcientiæ, & iudicio hoc reliquiſſe.

35 *Vera ſolutio.*

Verius tamen videtur Nectarium nihil abſtuliſſe, quod ad ſubſtantialē vſum huius ſacramenti, vt ſic dicam, vel ad illius obligationem pertinuerit, ſed tantum vel abſtuliſſe, vel moderatum fuiſſe ritum aliquem pertinentem ad pœnitentiam publicam, quæ tunc in Eccleſia agebatur poſt ſacramentalem confeſsionem, vt ex eiſdem hiſtoriis colligere licet, & ex Gregorio Nyſſeno in epiſtol. ad Latomum Mitylenes Epiſcopum, quem refert Baronius ſupra, & ex Chryſoſtomo etiam multa ſtatim afferemus. Abſtulit ergo Nectarius Presbyterum pœnitentiarium, eiuſq; munus prohibuit, vt expreſſe dicunt eædem hiſtoriæ. Quale autem fuerit illud munus, non ſatis conſtat: & ideo etiam incertum eſt quid Nectarius vetuerit. Dicunt ergo aliqui munus illius presbyteri fuiſſe omnium ſacramentales confeſsiones prius audire, & poſtea in publico Eccleſiæ conuentu peccata narrare, & corripere, ſiue publica eſſent, ſiue etiam ſecreta, & pro eis pœnitētiam imponere. Similem enim conſuetudinem aliquando cœptam eſſe introduci in Campania, colligitur ex Leone Papa in Epiſtol. 78. alias 80. capit. 2. vbi grauiter illam reprehendit, & merito. Repugnat enim talis conſuetudo diuino iuri, ſi id fiat cōtra, vel ſine voluntate pœnitentiū: nam repugnat ſigillo confeſsionis, q; de iure diuino eſt, vt infra vi-

*Greg Nyſſ.* — *Quorundam opinio de munere Pœnitentiarij quod abſtulit Nectarius.* — *Leo Pap.*

debi-

debitus: nec minus eidem iuri repugnaret obligare, vel quouis modo cogere pœnitentes, vt ſuum conſenſum ad hoc præſtent.

36 Si vero intelligatur illa conſuetudo fuiſſe quaſi ſub conditione ſcilicet, narrandi publice peccata, ſi pœnitentes conſentirent, non eſſet tam directe repugnans prædicto iuri de ſeruando ſigillo confeſſionis: tamen etiam eſſet valde contraria fini eius, quia non poſſet talis conſuetudo non reddere difficillimam confeſsionem, & ab illius vſu homines plurimum retardare: nam ipſamet conſuetudo eſſet virtualis quædam, & tacita coactio, quia nemo auderet reſiſtere, nec putaret ſuam pœnitentiam eſſe admittendam, vt veram, & ſufficientem, niſi cõſentiret. Et prætereà, talis conſuetudo ſæpe cederet, aut in aliorum iniuriam, aut contra charitatem, vel propter aliorum ſcandalum, vel propter propriam infamiam grauem, ſine vllo fructu, vel neceſsitate. *Conc. Trid.* Vnde Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. capit. 5. aſſerit confiteri publice peccata ſecreta nulla humana lege poſſe conſulte præcipi. Igitur nec prudenter poſſet in Eccleſiaſticam cõſuetudinem introduci. Sic ergo talis erat Conſtantinopoli conſuetudo, merito illam abſtulit Nectarius, cuius factum ita Ruardus ar. 3. interpretatur. Sed certe ad talem conſuetudinem tollendam non oportuiſſet ſpecialem illam occaſionem de ſcandalo illius matronæ, vel aliam ſimilem expectare, cum per ſe iniqua eſſet, & omnino vitanda, vt Leo Papa citato loco expreſſe docet. Vnde non eſt veriſimile talem conſuetudinem duraſſe ſemper in Eccleſijs Orientis, in quibus ſanctiſsimi, & doctiſsimi Epiſcopi præceſſerant vſque ad tempora Nectarij: cum tamen hiſtoriæ citatæ referant, conſuetudinem illam, quam Nectarius abſtulit, antiquiſsimam fuiſſe.

37 *Verior ſententia.* Veriſimilius ergo eſt tantum peccata publica ſolita fuiſſe in publicum proferri, vt de eis publica pœnitentia ageretur, & fortaſſe non omnia, ſed illa tantum, quæ maius ſcandalum generabant. Sic enim legimus in Concil. Carthaginenſ. 3. c. 32. *Cõc. Carth.* publicam pœnitentiam agendam eſſe, *de publico & vulgatiſſimo crimine, quod vniuerſa Eccleſia nouerit.* Et ſimilia refert ex Concil. Moguntino, Affricano, & ex Aug. Burchardus lib. 19. ſui decreti cap. 36. 38. & 40. Sic etiam Auguſtinus in Enchiridio cap. 65. dicit, *Burchard. Auguſt.* *In Eccleſia agi pœnitentiam ſecundum modum cuiuſque peccati*, id eſt, de ſecretis ſecretam, & de publicis publicam, vt ipſe declarat, de Vera & falſa pœnit. cap. 11. & lib. 50. homil. in vlt. Imo in epiſt. 108. ſignificat, eos tantum ſolitos fuiſſe publicam pœnitentiam agere, & quaſi per antonomaſiam pœnitentes appellari, qui poſt baptiſmum ita peccauerant, vt prius excommunicari, & poſtea reconliari mererentur. Quem morem videmus nunc aliqua ex parte in Eccleſia retineri circa apoſtatas à fide, & alios ſimiles grauiſsimos peccatores, quamuis iam non ſit in vſu per viam voluntariæ confeſsionis in foro pœnitentiæ; ſed per iuriſdictionem fori exterioris, ſeu contentioſi.

38 Hac ergo ſuppoſita conſuetudine, munus illius presbyteri pœnitentiarij non videtur fuiſſe omnium fidelium confeſsiones ſacramentaliter audire, vix enim credi poteſt vnum tantum miniſtrum ad hoc munus pro tota aliqua Eccleſia aut ciuitate cõſtitutum fuiſſe, nec enim ſuo muneri ſatisfacere potuiſſet. Aut ergo munus illius fuit libellos eorum omnium, qui publicam pœnitentiam acturi erant, ſuſcipere, vt ea in publicũ recitaret, ne ipſimet pœnitentes cogerentur, quod ipſis oneroſius eſſet, per ſe ipſos ſua peccata narrare: aut certe (quod veriſimile eſt) prudentiæ huius presbyteri committebatur, vt non omnia peccata, quæ ipſi pœnitentes vellent, publice narrari permitteret, ſed ea tantum quę ſine ſcandalo, & cum ędificatione aliorum dici poſſent, & ad correctionem ipſius pœnitentis magis eſſent neceſſaria, vel vtilia: cętera vero ſub ſecreto retineret. Vnde prædictæ hiſtoriæ ſignanter aiunt, obſeruatum fuiſſe, vt hic presbyter eſſet prudens, & ſecretum obſeruans: & hoc ipſum indicauit Origenes dict. homil. 2. Pſal. 37. dicens, *Magno conſilio opus eſſe ad manifeſtandum peccatum pœnitentis in publico.* Vnde multi exiſtimant huiuſmodi præsbyterum non ſine conſilio Epiſcopi iudicium hoc dare potuiſſe, aut debuiſſe. Hunc ergo pœnitentiariũ Nectarius abſtulit, & conſequenter etiam abrogauit conſuetudinem agendi hanc publicam pœnitentiam in Eccleſia, quoniam illius occaſione ſcandalum illud acciderat. Et quoad hoc fortaſſe multi alij Epiſcopi illum imitati ſunt, quamuis non defuerint qui grauiter illud tulerint, & reprehenderint, vt Socrates etiam, & Nicephorus referunt, qui non dicunt reprehendiſſe illum, eo quod abſtulerit vſum ſacramẽtalis confeſsionis, ſed antiquam conſuetudinem honeſtam & vtilem ad frænandos peccatores. In hac enim re poterat eſſe indiciorũ diuerſitas abſq; errore, & pro temporum diuerſitate fieri potuit, vt non expediret conſuetudo, quæ antea probabatur. Quocirca, cum Socrates, & Sozomenus aiunt, *vnumquemque relictum eſſe conſilio animi ſui &c.* ſi non eſt ab aliquo eorum malitioſe additum, exponendum eſt, id factum eſſe, non ad excludendam confeſsionem, ſed publicam illam ſatisfactionem, & conſultationem presbyteri pœnitentiarij, atq; hoc modo libertati vniuſcuiuſq; relictum fuiſſe, vt confiteretur cui vellet ſacerdoti iuriſdictionem habenti, & iuxta illius præſcriptum pœnitentiam ageret, atque ita ad ſacra myſteria accederet.

### *Obijciuntur varia teſtimonia Patrum.*

39 *Chryſoſt.* SEcundo obiiciuntur varia Patrum teſtimonia, præſertim Chryſoſtomi, qui homil. 2. in Pſal. 50. in fine, ſic inquit, *Peccata tua dicito, vt deleas illa, ſi confunderis alicui ea dicere, dicito ea quotidie in anima tua, non dico vt confitearis conſeruo tuo, vt exprobret, dicito Deo, qui curat ea.* Similia habet homil. de Phariſæo & publicano, quæ habetur tom. 1. & tom. 2. homil. 4. de Lazaro ſatis poſt medium, tractans illud Iſaiæ 43. *Dicito tu peccata tua, vt iuſtificeris*, Caue, inquit, *homini dixeris, ne tibi exprobret*, & infra, *ſed ei qui Dominus eſt, qui tui curam gerit: neque enim ignorat, etiamſi non dixeris.* Quod vltimum verbum eſt valde difficile, & notandum. Et tom. 5. homil. de pœnitentia, & confeſsione, circa principium, *Solus te Deus confitentem videat: neque enim neceſſe eſt præſentibus teſtibus confiteri.* Sed hoc facile eſt: quod ſequitur valde difficile: *Cogitatione fiat delictorum exquiſitio, &c.* Et homil. 21. in Epiſto. ad Hebræos in parte morali, poſtquam multa dixerat de confeſsione ſubdit, *Obedire te volo prophetæ dicenti, Reuela Domino viam tuam: ante Deum: ergo tua confitere peccata, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria.* Quod etiam vltimum verbum difficillimum eſt. Denique homil. 8. de pœnitentia, circa finem, nullam videtur pati expoſitionem: tractans enim illud; *Probet autem ſeipſum homo*, inquit, *Non in commune theatrum accuſationem producit, non delictorum teſtes ſtatuit, intus in conſcientia ſtante nemine præter eum, qui cuncta videt, Deum, iudicium peccatorum ſtatuens, reforma quod deliquiſti: atque ſic pura conſcientia ſacram attinge menſam.* Similia multa habet homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura circa finem, & homil. 21. 24. 40. & 41. ad Populum. Nec videtur diſsimile quod habet Ambroſius Luc. 22. capit. de negatione Petri, & repetit ſermon. 46. & habetur de Pœnitentia d. 1. cap. 1. & 2. *Ambr.* *Lachrymæ, inquit, lauant delictum, quod ore pudor eſt confiteri: lachrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego.* Et ſimili modo Caſsianus collat. 20. capit. 8. *Caſſian.* poſtquam poſuerat multa remedia ad peccatorum remiſsionem obtinendam: ſubdit circa finem. *Si verecundia retrahente reuelare ea coram homi-*

*Decretum de Pœn. d. 1.*

*hominibus erubeſcis, illi, quem latere non poſſunt, confiteri ea iugi ſupplicatione nō deſinas, & dicere, Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Et alia referuntur in Decreto de Pœnitent. diſt. 1. à principio vſque ad caput 36.

*Prima expoſitio ad Chryſoſtomum. Gratian. Ruard. Baron.*

40 Ad Chryſoſtomum communis reſponſio eſt, illum tantum docere voluiſſe, non eſſe neceſſariam confeſsionem publicam: nam ideo ſæpe ait, *Non ad theatrum voco, non teſtes requiro, &c.* Hoc prius ſignificauit Gratianus de Pœnit. d. 5. §. *His auctoritatibus* poſt cap. *Quis aliquando.* Et poſtea ſequuti ſunt moderni ſcriptores: & præcipue videri poſſunt Ruardus dict. art. 5. & Baronius dict. anno 56. Qui conſequenter aiunt, quando Chryſoſtomus dicit confitendum eſſe ſoli Deo, non excludere ſacerdotem, qui non vt homo, ſed vt gerens vices Dei, confeſsionem audit. Plurimum vero obſtant huic expoſitioni nonnulla verba Chryſoſtomi, qui in obiectione aduertimus, quibus videtur excludere miniſterium linguæ, & dicere ſola cogitatione ſufficienter fieri confeſsionem. Ad quam obiectionem videtur Gratianus his verbis reſpondere, *Neq; enim eſt neceſſe, vt quæ ſemel ſacerdoti confeſsi fuerimus, denuo confiteamur, ſed lingua cordis, non carnis apud iudicem verum ea iugiter confiteri debemus.* Videtur enim Chryſoſtomus in dictis locis alludere ad antiquam conſuetudinem, & ad mutationem à Nectario factam: ſolebant enim fideles, vt diximus, etiam poſt ſacramentalem confeſsionem aliqua peccata publice confiteri, vel certe ad presbyterum pœnitentiarium accedere, vt de eis eum conſulerent. Hoc ergo prædicabat poſtea Chryſoſtomus non eſſe neceſſarium, ſed apud Deum pœnitentiam agere ſufficere ſola cogitatione ſcilicet, poſt confeſsionem ſacramentalem rite factam.

*Secunda expoſitio.*

Secunda vero expoſitio, & mihi valde probabilis eſt, Chryſoſtomum, licet in illis locis tractet de confeſsione ſacramentali, & ſecreta, non tamen negare abſolutam neceſsitatem confeſsionis pro eo tempore, quo præceptum eius obligare poteſt: ſed ſolum intendere confeſsionem non eſſe neceſſariam ſemper in re ipſa ad iuſtificationem, & remiſsionem peccati: ſed per ſolam interiorem conuerſionem poſſe ſtatim hominem iuſtificari. Huius autem rei ſignum eſſe poteſt, quia in multis ex dictis locis tractat Chryſoſtomus de quotidiano examine conſcientiæ, & hortatur fideles, vt ſtatim exeant ab ſtatu peccati, ad quod ait non eſſe neceſſarium ſtatim confiteri. Cui expoſitioni conſonat canon. 33. Concilij Cabilonenſ. 2. qui ſic habet, *Quidam ſolummodo Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent: quod vtrumque non ſine magno fructu intra ſanctam fit Eccleſiam, ita duntaxat, & vt Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, confiteamur peccata noſtra, & ſecundum inſtitutionem Apoſtoli confiteamur alterutrum peccata noſtra.* Id eſt, ita confiteamur Deo, vt non excludamus confeſsionem ſacerdotis ſuo tempore faciendam, iuxta ea quæ ſect. ſequente declarabimus. Denique, Chryſoſtomum in hac parte recte ſenſiſſe, ideoque altero ex his modis exponendum eſſe, conſtat ex variis eius locis ſupra citatis, diſput. præced. cum de poteſtate remittendi peccata ageremus, in quibus claues Eccleſiæ optime declarat. Idem ſumitur ex hom. 10. & 30. eiuſdē in Geneſim, & ex hom. 10. & 33. in Matth.

*Conc. Cabilonenſ.*

*Ambroſius explicatur. Gloſſ.*

41 Ad Ambroſium facilis eſt reſponſio, quamuis Gloſſa in capit. 1. & 2. de Pœnit. d. 1. male illa verba interpretetur, & alii multa de illis dicant, vt videre licet in Nauarro ibidem, & Cano ſupra. Nam in prioribus verbis non ait Ambroſius, ſiquis pudorem habeat confitendi delictum, lachrymas poſſe ſufficere ad lauandum illud: ſed ſenſus potius eſt lachrymas lauare delictum, quod cum pudore confitendum eſt. In verbis autem poſterioribus, cum ait Ambroſius, *Satisfactionem non lego*, non loquitur de propria ſatisfactione pro peccato; nam ſatis legitur ſatisfactio Petri cum legitur *fleuiſſe amarè*: *Satisfactionem* ergo vocauit excuſationem peccati, quæ de Petro non legitur. Vnde *quod defendi*, inquit, *non poteſt, fieri poteſt: recte fleuit, & tacuit, quia quod fiere ſolet, non ſolet excuſari.* Vnde potius ſenſit, propter pudorem neminem debere hoc modo excuſari à confeſsione peccati: & ideo ſubdit, *Lachrymæ verecundiæ conſulunt, & ſaluti, non erubeſcunt in petendo, &c.* Ad Caſsianum cum aliis applicandæ ſunt reſponſiones ad Chryſoſtomum datæ. Nam Caſſianus aperte loqui videtur de confeſsione publica. In aliis verò locis ſæpe dicunt Patres internam confeſsionem ſufficere, ſcilicet ad iuſtificationem: non excludunt tamen confeſsionem ſuo tempore faciendam, vt ſtatim amplius declarabimus.

*Explicatur Caſſian.*

## SECTIO III.

### *Vtrum hoc ſacramentum in re ſuſceptum ſit neceſſarium medium ad remiſsionem peccati, vel ſufficiat in voto, & quomodo.*

*Ratio dubitandi.*

1 HAEc eſt tertia difficultas circa reſolutionem præcedentis Sectionis: nam ſine medio neceſſario non poteſt finis comparari: remiſsio autem peccati ſæpius comparari poteſt ſine hoc ſacramento, vt paulo antea cum Chryſoſtomo dicebamus, vt docet expreſſe Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. capit. 4. quomodo ergo ſacramentum hoc eſt medium neceſſarium ad hunc effectum? Propter hoc dixerunt aliqui in peccato mortali duo eſſe, ſcilicet maculam culpæ, & reatum pœnæ æternæ: & quantum ad primum, poſſe remitti peccatum ante confeſsionem, quia poteſt contritio charitate formari, vt Tridentinum dixit: charitas autem excludit maculam peccati: quantum ad ſecundum autem negant peccatum dimitti ante ſacramentalem confeſsionem peccati propter difficultatem tactam. Quod fit vt ex horum ſententia ſacramentum hoc non ſit medium neceſſarium ad remiſsionem peccati quoad culpam, ſed ſolum quoad æternam pœnam.

*Conc. Trid.*

*Quorundā opinio.*

*Rich. de S. Vict. Hugo de S. Vict. Medina. Reiicitur.*

2 Hæc ſententia ſumitur ex Richardo, & Hugone d. S. Victor. & Medina citatis diſputatione præcedenti Sect. 2. Tamen ex ibidem dictis ſufficienter impugnantur, tum quia ſicut ibi oſtenſum eſt poteſtatem clauium non ſolum reſpicere pœnam, ſed etiam culpam, vt talis eſt, ita eſt certum, ſacramentum hoc non ſolum eſſe medium neceſſarium ad remiſsionem pœnæ, ſed etiam ad remiſsionem culpæ, quia hæc neceſsitas in illa poteſtate fundatur, vt dictum eſt. Et ideo Concilium Tridentinum de peccatis quoad culpam loquitur, cum de illa poteſtate, & de neceſsitate huius ſacramenti ſermonem habet. Tum etiam, quia oſtenſum eſt remiſsionem pœnæ æternæ non ſeparari à remiſsione culpæ mortalis, & è contrario: ergo repugnat hoc ſacramentum eſſe neceſſarium ad remiſsionem pœnæ æternæ, & ad remiſsionem culpæ, non. Et declaratur manifeſte: ponamus enim, eum, qui ſine hoc ſacramento iuſtificatus eſt, paulo poſt mori ſine noua culpa, an ergo ille conſequetur regnum cœlorum, necne: hoc poſterius dici non poteſt, alias homo in gratia conſtitutus, & in ea mortuus, non ſaluaretur: quod dicere erroneum eſt. Ergo conſequetur homo æternam ſalutem ſine reali ſuſceptione huius ſacramenti: ergo remittitur illi pœna æterna: ergo non magis eſt medium neceſſarium hoc ſacramentum ad remiſsionem culpæ, quam pœnæ æternæ.

3 Vera ergo reſponſio eſt, ſacramentum hoc in re ita ſumptum non eſſe ſemper medium neceſſarium

*Sacrament.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tum hoc in voto ſufficere. Vera reſolutio.* *Mag.* *D.Tho.* *Gabr.* *Trid.* *Leo Pap.*

rium ad iuſtificationem vel remiſsionem peccati, ſed ſufficere in re vel in voto. Quæ eſt certa concluſio, & communis Theologorum cum Magiſtro d. 17.& D.Thoma ibi,& ſupra q.86.art.2. Vbi de hac re dictum eſt. Idem D.Thomas 4. contra Gent. cap.72. Gabriel d.14.q.2.art.2.& diſt.16,q.1.art.3. Et nunc eſt definita in Tridentino ſeſſ.6.cap.14.& ſeſſ.14. cap.4. & de illa videri poteſt Leo Papa epiſtō.91. ad Theodorum capite 3. Ratio vero eſt, quia veræ conuerſioni in Deum per contritionem promiſſa eſt remiſſio peccati, & cum ſacramentum non poſsit ſtatim adhiberi, propoſitum eius ſufficit, quia apud Deum voluntas pro facto reputatur. Nec mihi placet modus loquendi Medinæ tract. 2. de confeſsio. qu. 4. de confeſsione neceſsitatis, qui dicit ita remitti peccatum per confeſsionem in voto tantum, vt poſsit homo dici aliquo modo manere in peccatis quandiu non abſoluitur. Quod ideo videtur dicere, quia probabilem exiſtimat opinionem iam improbatã. Cum ergo per contritionem cum voto ſacramenti perfecte tollatur culpa, & reatus pœnæ æternæ, & ſolũ manere poſsint reliquię peccati, & reatus pœnæ temporalis, quæ non habent rationem culpæ, nullo modo dici poteſt, hominem ſic iuſtificatum manere aliquo modo in peccatis, magis quam illum qui iuſtificatus eſt per confeſsionem, in quo etiam poſſunt manere reliquiæ peccati, & reatus pœnæ temporalis.

*Modus loquendi Medinæ improbatur.*

*Quid ſit peccatum remitti per ſacramentum in voto.*

4 DVo vero explicanda ſuperſunt. Primum eſt quid ſit peccata remitti per hoc ſacramentum in voto: Secũdum eſt, quale debeat eſſe hoc votum. Circa primum dicunt aliqui, peccatum remitti in voto ſacramenti pœnitentiæ eſſe remitti ſub cõditione ſuſcipiendi ſacramentum. Sed hæc locutio vitanda eſt, & quando in aliquo Catholico auctore inuenitur, pie explicanda. Nam quando peccatum remittitur per contritionem, vere & abſolute remittitur, quia ſtatim iuſtificatur homo vere ac proprie: in homine autem iuſtificato nihil damnationis manet teſte Paulo: ergo in homine ſic contrito peccatum non manet: ergo abſolute remittitur. Nam ſi ſolum eſſet remiſsio ſub conditione, nõ haberet effectum donec impleretur conditio, quia cõditionalis nihil ponit ineſſe, donec conditio impleatur. Vnde ſequeretur vlterius nullius fructus eſſe contritionem, quia ſub illa conditione, etiam non habenti contritionem promiſſa eſt remiſsio peccati, ſi digne confiteatur. Quod ſi forte dicatur, per contritionem ſtatim dari remiſsionem peccati, tamen ſub ea conditione, vt poſtea ſequatur confeſſio, vel ſaltem non voluntarie omittatur, aduertendum eſt duobus modis hoc intelligi poſſe. Primo vt effectus illius remiſsionis, ſeu duratio eius vere pendeat ab illa conditione, ita vt illa non impleta, reuocetur facta remiſsio. Et hic ſenſus eſt omnino falſus, & quoad culpam apertam repugnantiam inuoluens: quoad pœnam vero æternam, vel etiam temporalem ſemel remiſſam, eſt ſaltem impoſsibilis ſecundum legem ordinariam, vt in ſuperioribus declaratum, & oſtenſum eſt. Secundo poteſt dici id fieri ſub conditione, non quia fiat cum dependentia ab executione talis conditionis, ſed quia fit ſub onere, ſeu cum obligatione implendi talem conditionem. Et hic ſenſus verus eſt, tamen quia locutio eſt ambigua, & impropria, dicendum non eſt remiſſionem eſſe conditionatam, ſed cum obligatione poſtea confitendi talia peccata.

*Quorundam opinio reijcitur.*

5 *Alia opinio.* Hinc vero colligunt alij, contritionẽ tollere peccatum quatenus includit hoc ſacramentum in voto, nihil aliud eſſe, niſi quod propoſitum confitendi A neceſſarium nunc eſt ad remiſsionem peccati, & ad contritionem habendam, eo quod nunc datum nobis ſit diuinum pręceptum confitendi peccata mortalia, quod ſemper obligat, etiamſi contritionem eorum habuerimus. Quod ſi obijcias, quia hoc modo etiam remittetur peccatum per Euchariſtiam in voto, & per omnem alium actum virtutis, qui ſit in præcepto: nam etiam propoſitum implendi quodcunq; præceptum eſt de neceſsitate contritionis, atque adeo neceſſarium ad remiſsionem peccati. Reſponderi poteſt, hanc eſſe differentiam inter hoc ſacramentum & Euchariſtiam, vel alios actus virtutis, quod hoc ſacramentum de ſe eſt remedium peccati, & in hunc finem per ſe inſtitutum: quod non ha- B bet Euchariſtia, vel alij actus. Et ideo propoſitum confitendi eſt propoſitum ſuſcipiendi quoddam remedium talium peccatorum, cui per accidens eſt quod circa remiſsionem horum peccatorum nihil operetur, quia iam inuenit factum. Sed hoc totum non ſatis declarat neceſsitatem medij, ſed præcepti tantum reſpectu peccatorum, quæ per contritionẽ ablata ſunt: nam quod hoc ſacramentum ſit remedium peccatorum nimis materiale eſt reſpectu illorum, quia non intenditur ſub hac ratione, cum circa illa nihil operari poſsit: ergo ſolum intenditur vt quid præceptum.

*Improbatur.*

6 *Aliorum ſententia.* Propter quod addunt alij ita eſſe hoc ſacramentum remedium peccatorum, vt etiam ipſa contritio, vel auxilium ad illam in virtute huius ſacramẽti C & per votum eius cõferatur. Quod ſignificauit Ferrarienſis 4. contra Gen. ca.72. Non poteſt tamen recte intelligi, quia auxilium ad contritionem eſt prius ipſa contritione, & conſequenter per ſe loquendo, eſt etiam prius quam votum ſuſcipiendi ſacramentum: non ergo poteſt illud auxilium dari ratione ipſius ſacrameti in re vel in voto ſuſcepti. Et eadem ratione nec contritio ipſa dari poteſt propter votum ſacramenti, tum quia contritio non aliter datur quam dando auxilium ad ipſam: tum etiam, quia votum, vel in ipſa contritione includitur, vel eſſe poteſt quid poſterius ipſa: ergo, ſicut votum ipſum non poteſt dari ratione ſecramenti, ita nec cõtritio datur ratione ſacramenti in voto ſuſcepti. Denique in ſuperiori tomo generatim oſtendimus, ſa- D cramenta nihil operari proprie & ex opere operato in voto, vel deſiderio tantum ſuſcepta, donec re ipſa applicentur.

*Ferrar.* *Reijcitur.*

*Vera ſententia.* Dico ergo, peccata remitti per hoc ſacramentum in voto, quia hoc ſacramentum ita eſt nunc inſtitutum, vt eius ſuſceptio pertineat ad integram diſpoſitionem ſeu ſatisfactionem ex parte noſtra neceſſariam ad remiſsionem peccati: nam hinc ſit, vt quanuis remittatur peccatum exiſtente ſola cõtritione, ſemper id fiat in ordine ad confeſsionem. Ad eum modum, quo in emptione alicuius rei ante ſolutum integrum pretium, dominium & poſseſsio rei confertur, quãuis tunc abſolute detur, tamen id fit cum ordine ad futuram ſolutionem: vnde quando hæc poſtea fit, licet non acquiratur nouum, aut maius E dominium talis rei, ſoluitur tamen, & prior contractus in ſuo ordine completur. Sic ergo intelligendũ eſt id quod tractamus: datur enim per cõtritionem remiſsio peccati in ordine ad futuram confeſsionem quaſi ad futuram ſolutionem: vnde, cum poſtea ſit confeſsio, completur contractus prior quantum ex parte noſtra poteſt, & debitum eſt. Accedit præterea, quod etiam tunc per ſacramentum completur quodammodo iuſtificatio prior: quæ minus perfecta fuerat ob defectum ſacramenti: poſtea autem perficitur, & infunditur gratia per ſe ſufficiens ad remiſsionem talium peccatorum, quæ gratia ſacramentalis, per ſe etiam loquendo, erat neceſſaria, & cum ordine etiam ad illam data fuerat prior remiſsio. Et ideo, licet quoad ablationem peccati in re nihil ei addatur, tamen quoad poſitiuam formam

expul-

*Alenſ.* expulſiuam peccati aliquid ei additur. Et propterea fortaſſe Alenſis, 4.p.q.18.memb. 2. arti. 1. hoc ſacramentum dixit eſſe veluti formam perficientem cõtritionem, & effectum eius, quoad remiſsionem peccati, quia complet modo explicato hunc effectum. Et ſub ea ratione votum eius eſt neceſſarium, non tantum neceſsitate præcepti, ſed etiam medij, quanuis hæc duo ſeparabilia non ſint in hoc ſacramento, vt diximus.

*An votum huius ſacramenti debeat eſſe explicitum, an ſufficiat implicitum.*

8 *Cani opinio.* CIrca ſecundum: difficultas eſt in hac concluſione, an oporteat hoc votum ſacramenti eſſe explicitum, vel ſufficiat implicitum. Cano enim ſupra dict. relect. p. 5. poſt medium, dixit requiri explicitum. Quam ſententiam tribuit Magiſtro, & D. Thomæ. Sed re vera antiqui non ſunt vſi tali diſtinctione, licet interdum dicant requiri propoſitum, ſeu deſiderium ſacramenti, vt videre eſt in Bonauent. d.17.ar.1.q.4. Durando q.2. Paludano q.2.art.3. fundamentum Cani eſt, quia alias contritio nunc ſufficeret ad iuſtificationem per ſe, & vi ſua ſine ordine ad claues: quod eſt contra Trid. ſeſſ. 6.c.14. & ſeſ.14. c.4. & contra concilium Complutenſe, & definitionem Sixti 4 quæ ibi refertur. Sequelam non probat. Probari vero poteſt, quia ſi ſufficit propoſitum implicitum, id ſolum erit propoſitum ſeruandi omnia mandata, & quia nunc vnum ex ijs mãdatis eſt præceptum confeſsionis, etiam hoc in illo vniuerſali propoſito continebitur, ſicut alia: ergo non magis iuſtificabit contritio in voto huius ſacramẽti, quam in voto Euchariſtiæ, vel reſtitutionis, aut ſimilium. Confirmatur, quia hæreticus, vel ſchiſmaticus non poteſt conſequi remiſsionem peccati, niſi explicite proponat reconciliari Eccleſiæ, teſte Auguſtino libro de Vera & falſa religione, capit. 12. ergo ſimiliter, &c.

*Bonau. Dur. Palud. Conc. Trid. Conc. Complut. Auguſt.*

9 *Votum implicitum ſufficere, vera ſententia.* Contraria nihilominus ſententia, & communis eſt, & vera, & mihi practice certa, ſufficere ſcilicet votum implicitum, quale includitur ex natura rei in amore Dei ſuper omnia, & propoſito ſeruandi omnia mandata, ſuppoſita inſtitutione, & neceſsitate huius ſacramenti. Hoc ſentit D. Thomas d.17.qu. 3.art.5.q.1. Richardus art,1.qu.1.ad 4. Bonauent.art. 2.q.4. in vltimo argumento cum ſolutione. Maior. d.14.q.2. & Gabriel ſupra, Adrianus q.1. de Confeſſione ad 2. Soto d.14.q.1.art.5. & d.17.q.2.art.1. in fine, qui refert Alenſem qu.76. memb.2. vbi requirit quidem propoſitum, non tamen explicat quale illud futurum ſit. Idem tenet Nauarrus in Summa c. 1.num.15. Et hoc magis ſumitur ex Tridentino ſeſſ. 14.cap.4. Vbi inquit, nunc non eſſe tribuendam remiſsionem peccati ipſi contritioni ſine voto ſacramenti, *quod in illa includitur*: vera ergo contritio, ſi talis eſt, includit hoc votum: dixerat autem paulò antea idem Concilium, ad veram contritionem ſatis eſſe cum deteſtatione propoſitum ſeruandi omnia mandata. Ratio vero eſt, quia nullum eſt fundamentum ad requirendum huiuſmodi propoſitum explicitum: nec poteſt oſtendi præceptum de hac re neq; ex Scriptura, neq; ex traditione aliqua. Confirmatur, & explicatur hoc modo, nam vel hoc propoſitum requiritur, quia ſine illo non poteſt haberi vera contritio: & hoc eſt falſum: quia etiamſi quis non recordetur expreſſe confeſsionis, poteſt habere omnes actus, quos ſupra diximus perficere contritionem, quia nulla eſt repugnantia, & gratis diceretur, Deum non dare gratiam excitantem, vel adiuuantem neceſſariam ad illos actus, niſi habenti actualem memoriam, & formale deſiderium confeſsionis. Vel requiritur, quia licet haberi poſsit cõtritio ſine tali voto, non tamen ſufficit ad iuſtificationem: & hoc eſt omnino falſum, tum quia illi cõtritioni, vt dictum eſt, ſemper eſt coniuncta gratia, & charitas tanquam vltimę diſpoſitioni: tum etiam, quia in illa includitur votum ſacramenti, & vtrumque dixit Concilium. Et confirmatur, quia alias pari ratione dici poſſet; contritionem non ſufficere ſine reali ſuſceptione ſacramenti. Vel requiritur hoc votum, vt ſuppleat vicem ſacramenti, veluti dando gratiam ex opere operato: & hoc eſt etiam omnino falſum, quia iuſtificatio, quæ ſolum fit per ſacramẽtum in voto, tantum fit ex diſpoſitione operantis: neq; ibi confertur vlla gratia ſacramentalis, vt in ſuperioribus ſæpe dictum eſt. Alias pari ratione dici poſſet, hominem iuſtificari ex opere operato per attritionem cum formali deſiderio ſacramenti. Confirmatur, quia in baptiſmo ſufficit votum implicitum, vt docet D. Thom. ſupra q.69.art.4.ad 2. vbi late de hac re: ergo pari ratione in hoc ſacramento; quia eadem eſt ratio: & ſicut poteſt quis habere fidem, & contritionem cum ignorantia inuincibili baptiſmi, ita poteſt baptizatus habere, fidem & contritionem cum obliuione inuincibili confeſsionis, vel etiam cum ignorantia: ergo eadem eſt ratio.

*D Thò. Rich. Bonau. Maior. Gabr. Adrian. Soto. Alenſ. Nauar. Conc. Trid.*

10 *Fundamento Cani ſatiſfit.* Ad fundamentum Cani negatur ſequela: & ad probationem iam ſupra explicatum eſt, non tribui effectum ſpecialiter voto ſacramenti, quia ex parte hominis requiratur ad illud votum actus, vel deſiderium expreſſum: ſed quia tale ſacramentum non ſolum eſt præceptum, ſicut alia, ſed eſt per ſe inſtitutum ad remiſsionem illorum peccatorum, tãquam medium neceſſarium ad illum effectum. Vnde quãdo in abſentia ſacramenti datur talis effectus per cõtritionem, illa dicitur habere ordinem ad tale ſacramentum, quia ſupplet vicem eius, & quia ſemper illa peccata manent ſubijcienda clauibus ex vi illius voti & propoſiti. Ad confirmationem vero reſpondetur, ſi ſit ſermo de hæretico, non eſſe ſimile: ille enim non poteſt iuſtificari, niſi incipiat habere veram, & formalem fidem: & ideo neceſſe eſt, vt habeat voluntatem credendi, & conſequenter redeũdi ad Eccleſiam: ſi autem eſſet ſchiſmaticus non hęreticus, ſed retinens veram fidem, ille iuſtificari poſſet cum dolore, & propoſito ſeruandi omnia mandata.

## DISPVTATIO XVIII.

*De eſſentia, & ritu huius ſacramenti in communi.*

DVobus modis poteſt definiri eſſentia huius ſacramenti: primo metaphyſice per ſuum genus & differentiam, & dicetur eſſe ſignum efficax gratię remiſſiuæ peccati poſt baptiſmum commiſsi: quæ definitio nota eſt ex dictis. Alio modo agendum eſt de eſſentia huius ſacramenti declarando partes quaſi phyſicas eius, materiam ſcilicet, & formam: quod hic generatim præſtabimus, poſtea ſpeciatim.

### SECTIO I.

*Quænam ſit materia remota huius ſacramenti.*

1 *Prima opinio. D Tho. Gerſon.* QVoniam, vt oſtendam Sect. ſequente; ſacramẽtum hoc, ſicut alia nouæ legis, materia conſtat, & forma, dicendum prius hoc loco eſt de materia remota, ex qua ſolet materia proxima confici. Quidam autem ita loquuntur, vt dicant materiam remotam eſſe ipſum peccatorem qui abſoluitur, vt D. Thomas Opuſc. 22. capit. 4. & Gerſon in floribus moralibus.

2 Veruntamen peccator potius eſt ſubiectum, de